
UC-NRLF

DE CONJURATIONIS CATILINARIAE FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM GOTTINGENSIUM

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUGO WILLRICH

POMERANUS.



GOTTINGAE 1893.

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit Christianus Augustus Volquardsen.

Examen rigorosum absolvi die XXVII. mensis Julii anni p. C. n. 1892.

Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff

sacrum.



Cave, ne illud „γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας" ad te pertineat scribentem de conjuratione Catilinae, dixerit quispiam. Innumerabiles enim viri docti huic facinori explorando operam dederunt, multi in fontibus investigandis sagacissimos se praestiterunt, sed ut grammatici de hac re sescenties tractata inter se consentiant, tantum abest ut adhuc sub judice lis sit. Neque mirum videtur, recentiorum sententias diversas esse, cum ne veteres quidem historici de gravissimis rebus eadem nobis tradant. —

Pervenit ad nos memoria conjurationis per scriptores hosce:

Ciceronem, Sallustium, Asconium, Velleium, Plutarchum Suetonium, Florum, Appianum, Cassium Dionem, Eutropium, Orosium. Praeterea complures autores de rebus illis egisse scimus, quos temporum iniquitate absumptos dolemus. —

Nominandi sunt imprimis Livius, cujus periochae tantum Libitinam vitaverunt, Diodorus, cujus duo fragmenta supersunt, T. Attici commmentarius de Ciceronis consulatu, denique Tanusius Geminus, M. Actorius Naso, quos fontes nominat Suetonius. —

Velleium, Florum, Eutropium, Orosium parvi momenti esse negari non potest. Suetonius ea tantum quae ad Caesarem pertinebant nobis tradit, uberiorem fructum praeter Ciceronem et Sallustium Asconius, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius nobis praebere videntur. Qui quomodo inter se conjuncti sint, cui potissimum fidem habeamus quaerendum est.

Atque primum quidem mihi liceat, paucis exponere ea, quae adhuc a viris doctis de quaestione nostra prolata sunt. Quamquam permulti operam contulerunt in hanc rem explorandam, pauci tantum hanc materiam totam vel magna ex parte tractaverunt.



Cave, ne illud „γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας“ ad te pertineat scribentem de conjuratione Catilinae, dixerit quispiam. Innumerabiles enim viri docti huic facinori explorando operam dederunt, multi in fontibus investigandis sagacissimos se praestiterunt, sed ut grammatici de hac re sescenties tractata inter se consentiant, tantum abest ut adhuc sub judice lis sit. Neque mirum videtur, recentiorum sententias diversas esse, cum ne veteres quidem historici de gravissimis rebus eadem nobis tradant. —

Pervenit ad nos memoria conjurationis per scriptores hosce:

Ciceronem, Sallustium, Asconium, Velleium, Plutarchum Suetonium, Florum, Appianum, Cassium Dionem, Eutropium, Orosium. Praeterea complures autores de rebus illis egisse scimus, quos temporum iniquitate absumptos dolemus. —

Nominandi sunt imprimis Livius, cujus periochae tantum Libitinam vitaverunt, Diodorus, cujus duo fragmenta supersunt, T. Attici commmentarius de Ciceronis consulatu, denique Tanusius Geminus, M. Actorius Naso, quos fontes nominat Suetonius. —

Velleium, Florum, Eutropium, Orosium parvi momenti esse negari non potest. Suetonius ea tantum quae ad Caesarem pertinebant nobis tradit, uberiorem fructum praeter Ciceronem et Sallustium Asconius, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius nobis praebere videntur. Qui quomodo inter se conjuncti sint, cui potissimum fidem habeamus quaerendum est.

Atque primum quidem mihi liceat, paucis exponere ea, quae adhuc a viris doctis de quaestione nostra prolata sunt. Quamquam permulti operam contulerunt in hanc rem explorandam, pauci tantum hanc materiam totam vel magna ex parte tractaverunt.

Primus nominandus est Lagus[1], qui summa diligentia eventu haud prospero investigavit, quibus fontibus Plutarchus in componenda Ciceronis vita usus sit. Weizsaeckerus[2] sagacissime Heerenii[3] sententiam confirmavit, Plutarchum in enarranda conjuratione Catilinaria Ciceronem excerpsisse. Sed nonnullos errores commisit, multas difficultates silentio praeteriit. Hunc secutus Thouretus[4] demonstrare conatus est, Dionem aeque ac Plutarchum relationem suam Ciceroni debere, quod abhorret a veritate. —

Bureschius[5] de Plutarcho cum Weizsaeckero et Thoureto consentit sed falso putat, Appiano quoque Ciceronis commentarium ante oculos fuisse. Dionem Cassium e Livio hausisse postea se demonstraturum esse promisit, neque vero, quoad ego videre possum demonstravit. Schliephackius[6] copiosissime tractavit Plutarchum, Appianum, Dionem, sed paene in omnibus erravit. De omnibus scriptoribus egerunt Dübius[7] et Besserus[8]. Quamquam Dübius non sine industria scripsit tamen saepe errat, contendit enim, ut minora omittam, Plutarchum e Livio hausisse, Dionem vero ex omnibus scriptoribus relationem suam congessisse. Besserus vero, qui totam materiam denuo perscrutari et diligenter examinare sibi proposuit, oleum et operam perdidisse videtur, etsi enim multa comportavit, tamen critica ars et acu-

---

1) Lagus: Plutarchus vitae Ciceronis scriptor. Helsingfors diss. ac. 1846.

2) Weizsaecker: Cicero's hypomnema und Plutarch. Neue Jahrbücher für Philologie. Jahrgang 46. Bd. 111. 1876.

3) Heeren: De fontibus et autoritate vitarum parallelarum Plutarchi. Gottingae 1820.

4) G. Thouret: de Cicerone, Asinio Pollione, G. Oppio rerum Caesarianarum scriptoribus. Leipziger Studien zur Philologie I. 1878.

5) Buresch: Die Quellen zu den vorhandenen Berichten über die Catil. Verschwörung commentationes Ribbeckianae. Leipzig 1888.

6) Schliephacke: Ueber die griechischen Quellen zur Catil. Verschwörung. Goslar 1877.

7) Dübi: Die jüngeren Quellen der Catil. Verschwörung. N. Jahrb. für Phil. Bd. 113. 1876.

8) Besser: De conjuratione Catilinaria. dissertatio philosophica. Leipzig 1880.

men plane apud eum desiderantur. — Quot viri tot sententiae. — Quare concedes, quaestionem movendam esse, quomodo inter se conjuncti sint autores, quibus relationem de conjuratione Catilinae debemus [1]). —

Sallustius.

De Sallusti autoritate et fide uberius disserere non meum est, satis superque viri docti demonstraverunt, saepe eum a veritate abhorrere, praecipue ordinem temporum ab eo non semper servatum esse. Quamquam sibi proposuit, scribere de conjuratione „quam verissume", tamen negari non potest, ei amicam veritatem magis amicum Caesarem fuisse [2]). Itaque omnibus viribus operam dedit, ut Caesarem ab odio conjurationis Catilinariae liberaret.

Quin etiam consulto eum veritatem obscurasse apparet, si conferuntur ea, quae de ipsius moribus atque vita nobis narrat cum iis, quae apud ceteros scriptores inveniuntur. Ne vero credas, parum me Sallustio tribuere, quem deductis deducendis testem haud spernendum esse contendo, quo, si caute eum legimus, perbene uti possumus in examinanda, supplenda, emendanda Ciceronis relatione.

Cicero.

Ne Cicero quidem tantum fructum praebet historico, quantum fortasse credat quispiam, etsi saepissime facinora sua laudibus extulit, cf. Plutarchi vit. Ciceronis cap. 24: „πολλοῖς δ'ἐπίφθονον ἑαυτὸν ἐποίησεν ἀπ' οὐδενὸς ἔργου πονηροῦ, τῷ δ' ἐπαινεῖν ἀεὶ καὶ μεγαλύνειν αὐτὸς ἑαυτὸν ὑπὸ πολλῶν δυσχεραινόμενος. Οὔτε γὰρ βουλὴν οὔτε δῆμον οὔτε δικαστήριον ἦν συνελθεῖν, ἐν ᾧ μὴ Κατιλίναν ἔδει θρυλούμενον ἀκοῦσαι καὶ Λέντλον." Ut omittam, quod Catilinae inimicissimus fuit, nunquam apud eum totam conjurationem perpetua et continua narratione tractatam legimus, modo hinc modo illinc nonnulla sumenda sunt, multa omnino praetermittuntur, quin

---

1) Hagenium: Unters. über röm. Gesch. I. Regiom. 1854 et Hauptium, Philol. 41 pg. 148 nominare satis habeo.

2) E. John: Die Entstehungsgeschichte der Catilinarischen Verschwörung, N. Jahrb. für Philol. Suppl. Neue Folge Bd. 8 pg. 809 ff.

etiam interdum ipse secum discrepat. Hoc quoque tenendum est, Ciceronem vivo Caesare omnia diligenter vitasse, quae ad societatem inter Caesarem et Catilinam exortam pertinebant. Quibus de causis graviter dolendum est, quod Ciceronis et amicorum libelli de consulatu ejus vetustate absumpti et deperditi sunt.

Cicero enim omni modo gloriam suam augere conatus est et a permultis petivit, ut facinora sua memoriae traderent. Thyillus et Archias et Lucceius voluntati ejus non satisfecerunt, Herodis scriptum de conjuratione valde Ciceroni displicebat, ne Atticus quidem laudem meritus est. Itaque ipse de consulatu suo composuit commentarios Graece et Latine, praeterea poëma, de quibus legimus haecce: ad Attic. I, 19. „Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te; in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam quod tibi, ut opinor, Panormi Lucullus de suis historiis dixerat: se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse. Apud me si quid erit ejus modi, me imprudente erit et invito. Latinum si perfecero ad te mittam. Tertium poëma exspectato, ne quod a me ipso laudis meae genus praetermittatur. Hic tu cave dicas: „τίς πατὲῤ αἰνήσει;“ si est enim apud hominem quidquam, quod potius sit, laudetur. Nos vituperemur, qui non potius alia laudemus. — Quamquam non ἐγκωμιαστικά sunt haec, sed ἱστορικά, quae scribimus.

Idibus Mart. —“

Ad. Atticum I, 20, 6 mense Maio „de meis scriptis misi ad te Graece perfectum consulatum meum. Eum librum L. Cossinio dedi. Puto te Latinis meis delectari, huic autem Graeco Graecum invidere. Alii si scripserint, mittemus ad te. sed mihi crede simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur.“

Ad. Atticum II, 1. mense Iunio. „Is (puer tuus) mihi litteras abs te et commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit: in quo laetatus sum, aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. Nam si ego tuum ante legissem fura-

tum me abs te esse diceres. Quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt; sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, et ut mulieres ideo bene olere, quia nihil oleant, videbantur. Meus autem liber totum Isocratis μυροθήκιον atque omnes ejus discipulorum arculas, ac non nihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit: quem tu Corcyrae, ut mihi aliis litteris significas strictim attigisti; post autem ut arbitror a Cossinio accepisti, quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente et fastidiose probavissem. Quamquam ad me rescripsit jam Rhodo Posidonius, se nostrum illud ὑπόμνημα quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum sed etiam plane perterritum. Quid quaeris? conturbavi Graecam nationem. Ita vulgo qui instabant, ut darem sibi quod ornarent, jam exhibere mihi molestiam destiterunt. Tu si placuerit liber, curabis, ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae. Videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre."

Repetamus jam paucis, quid ex his locis de commentariis colligere et cognoscere possimus. Commentarius Graece scriptus, sive hypomnema, editus est id. Mart. anni a. u. 694, cum commentarius Latine scriptus et poëma nondum perfecta essent. Commentarii Latini postea nusquam mentio fit, cum hypomnema duobus locis a Plutarcho commemoretur, commentarium editum esse ante poëma, verba „tertium poëma exspectato" significare videntur [1]). Neque vero plane constat, quo temporae poëma editum sit, mense Decembri

1) Drumannus (Geschichte Rom's tom. V. pg. 601) verisimile esse existimavit, Ciceronem commentarium Latinum non ad finem perduxisse, quia argumentum suum graece uberrime tractaverat, et poëmate magis delectabatur. Praeterea affert Drumannus famosam illam epistolam ad. famil. V. 12. 8, ubi Cicero, qui a Lucceio impetrare conatur, ut de temporibus suis scriberet, habet haecce: „quod si a te non impetro, cogar fortasse facere quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me." his verbis intellegi posse, commentarium Latinum eo tempore nondum editum esse. Sed quantum valeant verba illa apparet, constat enim hypomnema et poëma antea pervulgata esse.

ejusdem anni in epistola ad. Atticum II. 3, 3 complures versus e tertio libro afferuntur; duobus annis post Ciceronis poëma percrebuisse ex oratione in Pisonem habita (§ 74) elucet, dixerat enim Piso, versu illo, „cedant arma togae concedat laurea laudi“ Pompeium Ciceroni inimicum factum esse ideoque exilium ejus comprobasse.

Qua ratione libelli, de quibus agitur, inter se conjuncti sint, certe dici non potest, etsi probabile est, commentarium Latine scriptum ex hypomnemate quasi translatum esse, in poëmate vero Ciceronem poëtarum more repetivisse, quae in hypomnemate commemoraverat. Ex poëmatis fragmentis nihil gravioris ponderis colligi potest; hypomnematis vero, quod Plutarchi temporibus in manibus hominum fuisse supra diximus, qualia fuerint argumentum, habitus, genus dicendi quaerere operae pretium videtur esse. —

Sane res est dubia, nec sine difficultatibus, quoniam ut Socratis verbo utar, σκιαμαχεῖν quasi cogimur, at tamen fortasse conjectura consequi nonnulla possumus. —

Atque primum quidem magni momenti est, scire, unde initium scribendi Cicero sumpserit. Legenti mihi saepius epistolam ad. fam. V. 12, haec verba, quaestioni nostrae lucem afferre videbantur „a principio conjurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum corpus confici posse, in quo et illa poteris uti civilium commutationum scientia, vel in explicandis causis rerum novarum vel in remediis incommodorum.“

Eodem initio Ciceronem ipsum usum esse, nonne verisimile est? In explicandis autem rerum novarum causis, in pingendis Catilinae moribus et vita ad Sullana tempora ei recurrendum erat, illinc igitur exordium scribendi eum cepisse existimo, ita vero ut breviter eas res perstringeret. Priorem Catilinae conjurationem a Cicerone explicatam esse, non credo, cf. in. Catil. I. § 15, ubi paucis eam attingit, praecipue autem pro Sulla § 12. „illius igitur conjurationis, quae facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata esse dicitur, ego testis esse non potui: non modo animo nihil comperi, sed vix ad auris meas istius suspicionis fama pervenit.“

De petitione consulatus uberius eum egisse crediderim. Quae deinde narraverit, e duobus locis, ad. Atticum II. 1, 3 et in Pisonem § 3—7, intellegi potest, ubi Cicero egregie facta consulatus sui breviter exponit, orationes de lege agraria, pro Othone, pro Rabirio, de proscriptorum filiis, de provincia deponenda. — Sed haec quasi prooemii locum obtinebant, ornatissimam et speciosissimam libri partem Ciceronem conjurationi Catilinae patefactae et oppressae tribuisse, quis est, quin concedat? Epilogum hypomnematis illud jus jurandum fuisse de quo saepe gloriatur Cicero, viri docti recte putant [1]). cf. ad fam. V. 1. 4 et in Pisonem § 6, „ego cum in concione abiens magistratu a tribuno plebis prohiberer, ea quae constitueram dicere, cum is mihi tantum ut jurarem permitteret, sine ulla dubitatione juravi, rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. ac mihi populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem sed aeternitatem immortalitatemque donavit, cum meum jus jurandum tale atque tantum juratus ipse una voce et consensu approbavit.“ Ita enim optime consentit cum ipsius verbis, cf. ad. fam. V. 12, 5. „at viri saepe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem laetitiam, molestiam, spem, timorem; si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus, jucundissima lectionis voluptate.“

Facilius est, de genere dicendi et de habitu hypomnematis judicare. Ciceronem ipsum mirifice opere suo delectatum esse apparet, „conturbavi Graecam nationem“. Multum studii ac laboris consumpsit in limando libro et ornando, lente et fastidiose probavit, ut barbara et soloeca vitaret. — Quamvis vero Cicero scribat „non ἐγκωμιαστικά sunt haec quae scribimus sed ἱστορικά“, nemo credat, eum aliquod genus laudis suae praetermisisse, praesertim cum, ut multos alios locos omittam, in epistola illa ad fam. V. 12 a Lucceio petat: „itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis et in eo leges historiae neglegas...... amorique nostro plusculum etiam quam concedat veritas largiare“.

---

1) Lagus, pg. 64. Weizsaeckerus, pg. 419.

Profecto, qui talia ab amico impetrare audet, ipse sibi nihil negasse videtur, itaque existimo eum non prorsus falsa protulisse, multa autem, quae minoris fuerunt momenti, laudibus supra modum exaggerasse et amplificasse, ornamentisque auxisse. Certe enim semper persuasum habuit, sua unius opera rem publicam, cives omnes, templa atque delubra deorum conservata esse, sibi a cunctis hominibus summam deberi gratiam, se omnia perfecisse, ad Ciceronem egregium consulem omnia pertinuisse.

Denique quaerat quispiam, quomodo in hypomnemate orationibus suis Cicero usus sit. Integras orationes eum hoc loco repetivisse, quis credat? Sed recordantibus nobis, Ciceronem facinora sua saepe iisdem verbis extollere, probabile videtur, nonnullos locos, quibus eximie delectabatur quorum verba atque significationes in succum et sanguinem ei transierant, in hypomnema quoque translatos esse. —

Tale fuit hypomnema, quoad videre nos possumus, quod eo tempore multorum in manibus fuisse affirmaverim, Cicero enim omni modo librum suum pervulgasse videtur et ab Attico quaesivit, curaret, ut et Athenis esset et in Graeciae oppidis. — De Ciceronis expositione consiliorum suorum, scripta post mortem Caesaris, infra videbimus. —

Diodorus.

Diodori Siculi[1]) duo fragmenta exstant de conjuratione ex quibus colligi potest, copiosius eum res Catilinarias tractasse. Narrat enim altero fragmento, quod attulit Müllerus Exc. Esc. p. 36, 37, Catilinam et Lentulum constituisse Saturnalibus omnes fere senatores trucidare, conjuratorum autem quendam puellae quam amabat omnia enarrasse. Illam vero postridie Ciceronis consulis uxori conjurationem patefecisse. Sallustio haec impugnare videntur, tradit enim, Fulviam quae a Q. Curio de conjuratione audierat compluribus narravisse, eam rem studia hominum imprimis accendisse ad consulatum Ciceroni mandandum (cap. 23). Ciceronem a principio con-

---

1) e rec. Dindorfii. Lips. ap. Teubn.

sulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecisse, ut Catilinae consilia Curius sibi proderet (cap. 26). Curius Ciceronem de insidiis; quae ei a Cornelio et Vargunteio parabantur certiorem fecit (cap. 28). Catilina ad Manlium profecturus Cethego et Lentulo mandat, ut consuli insidias maturent, caedem incendia aliaque belli facinora parent. —

Plutarchus narrat (vit. Cic. 16—18): Fulviam Ciceroni insidias a Cethego et Marcio? paratas patefecisse. Catilina ex urbe pulso conjuratos caedem Senatorum in Saturnalia contulisse „Καὶ νὺξ μὲν ὥριστο πρὸς τὴν ἐπίθεσιν μία τῶν Κρονιάδων". Haec e Cicerone hausta esse infra demonstrabimus. De Curio Plutarchus tacet sicuti Cicero, qui nunquam eum commemorat, neque comperimus, quomodo Fulvia conjuratorum consilia cognoverit.

Itaque neque cum Sallustio neque cum Cicerone plane consentit Diodorus. Iam vero alterum fragmentum inspiciamus, quod attulit Beckerus, Exc. Vat. p. 128.

Tradit Diodorus, Catilinam a Cicerone in senatu accusatum dixisse, nunquam se sua sponte in exilium profecturum esse. Deinde Ciceronem a senatu quaesivisse, num placeret, Catilinam ex urbe egredi. Patribus metu Catilinae tacentibus denuo Ciceronem rogasse, num prohiberent, quominus Catilina in exilium iret. „μιᾷ δὲ φωνῇ πάντων ἀνα βοησάντων, μὴ δοκεῖν, καὶ δυσχεραινόντων ἐπὶ τῷ πάλιν ῥηθέντι ἐπὶ τὸν Κατιλίναν ἔφησεν, ὅταν τινὰ μὴ νομίσωσιν εἶναι ἐπιτήδειον φυγῆς μεθ' ὅσης κραυγῆς ἀντιλέγουσιν, ὥστε εἶναι φανερὸν ὅτι διὰ τῆς σιωπῆς ὁμολογοῦσι φυγήν. Ὁ δὲ Κατιλίνας εἰπὼν ὅτι βουλεύσεται καθ' ἑαυτὸν ἀπεχώρησεν".

De eadem re certiores nos facit Cicero, cf. in Catil. I 20—21. Sed apud Diodorum bis de Catilina Cicero rogat, in oratione Catilinam ex urbe egredi jubet patresque tacentes hoc probare et pati contendit, nam si idem de P. Sestio sive de M. Marcello dixisset, futurum fuisse ut sibi consuli in ipso templo vim et manus sentores inferrent. — Dindorfius conatus est conjectura efficere, ut Diodorus cum Cicerone consentiat, scribens pro verbis „εἰ κωλύουσι Λεύκιον Κατιλίναν" εἰ κελεύουσι Λεύκιον Κοΐντον Κάτλον. Non nego, primo aspectu hanc conjecturam mihi placuisse, sic enim

totius narratiunculae mucro quasi servatur, quem apud Diodorum desideramus, sed refutanda est. Quod pro Marcello et Sestio Catulum invenimus non multum valet, Ciceronis enim hoc unum intererat ut hominem frugi nominaret, itaque credi potest, eum alio loco Catulum nominasse. Sed nullo modo persuadere mihi possum, Diodorum scripsisse Λεύκιον Κόιντον Κάτλον pro Q. Lutatio Catulo, quamquam enim Diodorum levissimum fuisse in excerpendis fontibus concedo, tamen non crediderim eum tam turpiter errasse. Praeterea quid sibi velint verba „καὶ δυσχεραινόντων ἐπὶ τῷ πάλιν ῥηθέντι ἐπὶ τὸν Κατιλίναν“ intellegi non potest, si Dindorfium sequimur.

Quibus fontibus Diodorus usus sit in exponendis illis temporibus quorum paene aequalis fuit, fragmenta in dubio relinquunt. Quae de Attici commentariis protulit Dübius [1]) vana sunt, neque enim verisimile est hunc librum, quem horridulum et incomptum Cicero dicit (cf. ad Attic. II 1) late pervulgatum esse, nec causa est cur cum Bessero [2]) credamus, Ciceronis hypomnema Diodoro fructum praebuisse. Sallustiana et Ciceroniana contaminata apud Diodorum invenimus, nam ea verba quae ad Fulviae et Curii amores pertinent denique ad Sallustium referenda esse apparet, ea vero quae de patrum concilio legimus cum Ciceronis oratione in Catilinam habita necessitudine quadam conjunguntur. Neque vero persuadere mihi possum, Diodorum, qui unum fontem sequi solet, materiam congessisse e Sallustio et Ciceronis orationibus. Restat igitur ut sumamus Diodoro autorem ante oculos fuisse, qui Sallustium et Ciceronem excerpserat. Nomen dare huic fonti non possumus, neque multum valet scire, unde narratiunculae illae effluxerint, quae nil novi afferunt.

Velleius Paterculus.

Velleius rhetorice pauca de conjuratione nobis tradit, de factis parum accurate agit. Novi nil nos docet, nisi quod Plutarchus quoque exhibet, Catonis oratione habita majorem

---

1) Dübi. N. II. 113 pg. 878.

2) Besser. pg. 26.

senatus partem Ciceronem domum prosecutum esse. Neque vero probabile est Plutarchum et Velleium eodem fonte usos esse, Velleium enim a fontibus primariis auxilium petivisse, quis credat? Intererat Vellei, ut in pingendis Ciceronis et Catonis moribus quaesitis verbis ornatisque vocibus legentes delectaret. Quare verisimile non est, eum laudes, quibus Catonem effert, fonti suo debere, recordantes enim Catonem posteris instar fuisse Romanae virtutis, concedemus, ipsi Velleio declamationes illas tribuendas esse, conferas quaeso, quomodo laudentur apud eum Marius, Sulla, Pompeius, Caesar. — In capite 32 libri II Velleius legis Rosciae mentionem facit, hoc ad Livium spectat. cf. Liv. perioch. 99, sed certe judicare non possumus. —

Asconius Pedianus.

Miror, quod viri docti paene silentio transmiserunt ea, quae Asconius[1]) nobis de conjuratione tradit. Qui, etsi non in animo habet conjurationem nobis exponere, multa adfert, quae conjuncta relationem efficiunt non levis momenti.

Catilina, cum in Sullanis partibus esset, Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tanusium occidit, Mari Gratidiani caput abscisum per urbem sua manu tulit (pg. 75). Fabia virgo Vestalis causam incesti dixit, cum ei Catilina obiceretur, sed absoluta est. Dicebatur Catilina adulterium commisisse cum ea quae ei postea socrus fuit et ex eo natam stupro duxisse uxorem (pg. 82). Catilina reus repetundarum, cum provinciam Africam obtinuisset et consulatus candidatum se ostendisset, factus est a Clodio. Cn. Piso adolescens potens et turbulentus familiaris erat Catilinae omniumque consiliorum ejus particeps et turbarum auctor (pg. 58). L. Volcacius Tullus consilium publicum habuit, an rationem habere deberet Catilinae rei repetundarum, si peteret consulatum. Catilina ob eam causam destitit a petitione (pg. 80). Catilina post comitia consularia a L. Lucceio reus inter sicarios factus absolutus est (pg. 81). P. Sullam et P. Autronium L. Cotta et L. Torquatus ambitus damnaverunt et in eorum

1) rec. Kiessling et Schoell. Berol. 1875.

locum consules creati sunt (pg. 66). Fuit opinio Catilinam et Pisonem conjurasse ad caedem senatus faciendam, Cotta et Torquato consulibus, eamque caedem ideo non esse factam, quod prius quam parati essent conjuratis signum dedisset Catilina. Piso a senatu per honorem legationis in Hispaniam missus, ut ab urbe ablegaretur, occisus est a Pompei clientibus, ut quidam credebant, non invito Pompeio (83). —

In petitione consulatus sex competitores Cicero habuit, Cicero solus ex equestri loco natus in petitione patrem amisit. Ceteri competitores modeste se gessere, Q. Cornificius, P. Sulpicius Galba, C. Licinius Sacerdos viri boni erant, L. Cassius Longinus, postea Catilinae socius, stolidus tum magis quam improbus videbatur. Catilina et Antonius coëunt contra Ciceronem adjutoribus usi firmissimis M. Crasso et Caesare. Catilinae et Antoni audacia in dies augebatur ambitus licentia, ita ut senatus censeret, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur, cui intercessit Q. Mucius Orestinus tribunus plebis. Crassus et Caesar acerrimi et potentissimi Ciceronis refragatores fuerunt, quod Cicero in expositione consiliorum suorum significat. Ejus quoque conjurationis quae Cotta et Torquato consulibus facta est a Catilina M. Crassum autorem fuisse arguit (pg. 74). Ciceronis orationi in toga candida habitae responderunt contumeliose Catilina et Antonius, ferebantur quoque orationes, scriptae a Ciceronis obtrectatoribus, eorum nomine editae. Cicero consul omnium consensu factus est, Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit (pg. 84). Cicero Clodio amicitiam Catilinae obicit, fuit enim opinio, Clodium Catilinam ad Manlium proficiscentem subsequi voluisse, sed mulato consilio in urbem rediisse (pg. 44). Oratio quarta in Catilinam habita est die octavo decimo post factum S. C. ut viderent consules, ne quid res publica detrimenti caperet. — Cicero abiens magistratu, cum a Metello tribuno plebis prohiberetur contionari de rebus quas in consulatu gesserat, juravit sua unius opera rem publicam esse salvam. —

Saepe Asconius fontes nominat, ex quibus hausit, praeter Ciceronis orationes diligenter inspexit commentarios defensionum et expositionem consiliorum (pg. 78, 74), Tirone quo-

que usus est (pg. 43). Fenestellam saepius commemorat, cujus errores emendat. Luccei orationes in Catilinam scriptas adhibuit, eas quoque orationes perscrutatus est quae Catilinae et Antonii nomine ferebantur; neque vero fidem eis attribuit. Ne rumores quidem omisit, quod significant verba „fuit opinio", quae interdum nobis occurrunt. Sallustium et Livium municipalem suum et familiarem compluribus locis nominat; ecquid de conjuratione illis debeat videamus. —

De priore conjuratione optime quadrat cum Sallustio cf. Asc. pg. 66. 74. 82. 83 et Sallust. Cat. XVII, 7—XIX. Consentiunt de repulsa Catilinae, de Pisonis moribus, de signo a Catilina dato priusquam parati erant socii sceleris, de Pisonis legatione, de Pisonis morte, de suspicione Pompeio exorta, uterque Crassum nominat, de Caesare tacet. Ne Cicero quidem in expositione consiliorum dilucide Caesarem arguisse videtur (Asc. 74), etsi Plutarchus scribit in vitae Crassi cap. XIII: „ὅμως δ' ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερὸς ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν προστριβόμενος, ἀλλ' οὗτος μὲν λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν." Apud Asconium Cicero Caesarem et Crassum Ciceronis refragatores in petitione consulatus fuisse „significat", cum Catilina et Pisone conspirasse „M. Crassum arguit."

Sed nonnulla profert Asconius quae apud Sallustium non inveniuntur, de Volcacii consilio publico, de Cotta et Torquato Sullae et Autroni accusatoribus. Dio Cassius 36, 44. Cottam et Torquatum accusatores nominat, quem e Livio hausisse infra demonstrabimus, sed pergit, conjuratos nihil perfecisse, quia praesidium consulibus dabatur. Quin etiam futurum fuisse, ut S. C. contra eos fieret, nisi tribunus plebis intercessisset, de Caesare Dio quoque tacet, qui postea Crassum nominat. — Quid igitur judicemus? Asconium cum Sallustio necessitudine quadam cohaerere, negari vix potest, utrum vero praeter Sallustium alium scriptorem, fortasse Livium, excerpserit, an e Sallusti fonte hauserit, cui nomen dare non possumus, in dubio relinquitur. —

Plutarchus.

Tractavit Plutarchus conjurationem Catilinae in vita Ciceronis, strictim attigit in vitis Catonis, Crassi, Caesaris. In Ciceronis vita exponenda Plutarchum imprimis Tironem secutum esse viri docti consentiunt. Saepius enim eum nominat, cujus scripta, vitam et facete dicta Ciceronis, Plutarcho fontem ex animi sententia fuisse nemo infitias ibit, qui primum caput vitae Alexandri legerit, quo loco de scribendi genere suo Plutarchus certiores nos facit[1]). Prae ceteris Ciceronis vita hoc modo enarratur, abundat enim facetiis, jocis, narratiunculis, sed de Ciceronis scriptis, de autoritate et opibus, de rei publicae tractandae rationibus pauca tantum inveniuntur, excepta ea parte, qua de consulatu agitur. In perscribenda conjuratione Catilinaria Plutarchum non eodem genere dicendi usum esse, apparet, itaque viri docti[2]) consentiunt, hanc relationem nullo modo ad Tironem referri posse, unde autem hausta sit, alii aliter judicant, quorum sententias, ubi aliquid lucis afferre videntur, singulis locis tractabimus. —

Heerenius[3]) qui primus hanc quaestionem movisse videtur, Plutarchi relationem epitomen hypomnematis, quo Cicero consulatum suum celebravit, esse contendit, omnia enim sic enarrata esse, ut a Cicerone ipso exspectari possent. Locorum quibus Plutarchus hypomnematis mentionem facit alterum producit; Peterus[4]) utrumque affert, neque vero existimat, Plutarcho illud hypomnema ante oculos fuisse, saepe enim Plutarchum autores nominare, quorum scripta non legit. Sed videamus diligentius, quomodo commentarius noster commemoretur. —

---

1) Plut. vitas rec. Sintenis. Lips. Teubn. cf. imprimis „Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους, οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς καὶ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησεν μᾶλλον ἢ μάχαι μυριόνεκροι.“

2) conferas quaeso, quae supra (pg. 6—7) diximus de virorum doctorum sententiis.

3) cf. Heeren pg. 23.

4) H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer. Halle 1865 pg. 129—130.

In vitae Crassi capite XIII Plutarchus scribit haecce: ὅμως δ'ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερὸς ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν προστριβόμενος. Ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν. 'Εν δὲ τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα τὰ περὶ τὸν Κατιλίναν ἐξηγουμένην." κτλ.

Hoc loco intelligi potest, qua ratione Plutarchus in afferendis autoribus usus sit, nam λόγον illum Plutarcho in manibus non fuisse apparet, cum autem quae sequuntur verbis „φησὶ ὁ Κικέρων" inchoentur, ex ipsis verbis „φανερὸς ἦν" et „φησὶ" inter se oppositis elucet, commentarium ei ante oculos fuisse [1]).

In vitae Caesaris capite VII legimus apud Plutarchum „τοῦτο μὲν οὖν" (narravit Caesarem oratione pro conjuratis habita, cum e senatu exiret, ab adolescentibus equestris ordinis gladiis petitum a Curione et Cicerone servatum esse) οὐκ οἶδα ὅπως ὁ Κικέρων εἴπερ ἦν ἀληθὲς ἐν τῷ περὶ ὑπατείας οὐκ ἔγραψεν. — Hic locus, quem Peterus et Schliephackius paene silentio transmiserunt, nihil dubium relinquere videtur. Miratur enim Plutarchus, quod narratiunculam illam, quam aliunde sumpsit, in hypomnemate Ciceronis non invenit. Quis igitur negare potest, eum Ciceronis hypomnema legisse? At dixerit quispiam [2]), sane notus fuit Plutarcho libellus ille, neque vero hoc fonte usus est. Itaque videamus, num Plutarchus consentiat cum ea relatione, quam a Cicerone in hypomnemate exspectare possumus vel debemus.

In capite X Plutarchus refert, qualis fuerit rei publicae status ante Ciceronis consulatum, quam expositionem unde sumpserit, viri docti dissentiunt. Weizsaeckerus [3]) et Bureschius [4]) Sallustium excerptum esse putant. Re vera partim

1) cf. Schliephacke pg. 30 „es scheint aus der Unbestimmtheit des Citates ἐν τινι λόγῳ hervorzugehen, dass er dasselbe einer andern Quelle entlehnt hat." Sed pergit, „dadurch wird aber auch gegen das zweite Citat der Verdacht rege, dass es nicht unmittelbar aus Cicero stammt." Falso quoque Schliephackius „λόγον" orationem Ciceronis significare existimat, nam expositionem consiliorum dici apparet.

2) cf. Dübi N. J. 113 pg. 864.

3) Weizsaecker N. I. 111 pg. 422—24.

4) Buresch, Commentationes Ribbeckianae pg. 220.

Plutarchi verba perbene congruunt cum Sallustio, sed videamus, num ex eo sumpta esse debeant. Bureschius negari non posse contendit, e Sallustio haustos esse locos hosce:

cf. Plut. Cic. X.	Sall. Cat. 16, 3.
„Πομπηΐου μὲν' ἔτι τοῖς βασιλεῦσιν ἐν Πόντῳ καὶ Ἀρμενίᾳ πολεμοῦντος, ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ μηδεμιᾶς ὑφεστώσης πρὸς τοὺς νεωτερίζοντας ἀξιομάχου δυνάμεως.	In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat.

Mea quidem sententia causa non est, cur credamus Plutarcho illum locum Sallusti ante oculos fuisse, etsi enim eadem facta narrantur, tamen verba non plane consentiunt, praesertim cum Plutarchus verbosius quam Sallustius proferat, Pompeium cum Ponti et Armeniae regibus bellum gessisse. — Deinde cf.

Plut. Cic. 10.	Sall. Cat. 14, 5.
„Διέφθαρτο δ' ὑπ' αὐτοῦ πολὺ μέρος τῆς ἐν τῇ πόλει νεότητος, ἡδονὰς καὶ πότους καὶ γυναικῶν ἔρωτας ἀεὶ παρασκευάζοντος ἑκάστῳ καὶ τὴν εἰς ταῦτα δαπάνην ἀφειδῶς παρασκευάζοντος.	Sed maxume adulescentium familiaritates adpetebat. eorum animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cujusque studium ex aetate flagrabat aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret.“

Sane haec optime quadrant, sed Ciceronem quoque fontem fuisse credibile est, quamquam apud Ciceronem, quoad videre ego possum nullus invenitur locus, qui aeque ac Sallusti verba cum Plutarcho congruat. cf. In Catil. II. 8 „Iam vero quae tanta unquam in ullo homine juventutis inlecebra fuit quanta in illo? qui alios amabat ipse turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat, aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum non modo impellendo verum etiam adjuvando pollicebatur.“

Pro Caelio 13 „comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis scelere etiam, si opus esset et audacia.“

In Catil. I. 13 cui tu adulescentulo, quem corruptelarum inlecebris inretisses, non ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem praetulisti.“

De causis, quibus Romani permoti sunt ut Ciceroni consulatum mandarent, Plutarchus cum Sallustio non consentit. Tradit enim Plutarchus, sicuti Cicero ipse saepissime gloriatur, Ciceronem consensu omnium ordinum consulem creatum esse, cum Sallustius invidiam atque superbiam nobilitatis commemoret, qui quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret. (Sall. Catil. 23, 6). —

Quae de statu rei publicae a Sulla commutato Plutarchus profert impugnant Sallustio, cui a Sullae dominatione omnia fere rei publicae mala proficisci videbantur. cf. Sall. Catil. 11, 4 ff. „Sed postquam L. Sulla armis recepta re publica bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius alius agros cupere neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere“ etc.

Plutarchus autem eos qui Sullae acta, quae „κατάστασιν ἔχειν οὐ φαύλην videbantur, rescindere conati sunt, „ἰδίων ἕνεκα πλεονεξιῶν οὐ πρὸς τὸ βέλτιστον“ operam dedisse contendit. Consentiunt haec optime cum Cicerone cf. de leg. agr. III. 7 „nimium acer, nimium vehemens tribunus Sullana rescindit.“ ad Attic. XI. 21, 3 „Sullana confers, in quibus omnia genere ipso praeclarissima fuerunt, moderatione paulo minus temperata.“ Quintiliano quoque teste uti possumus cf. X. 1. 85 „sed ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit.“

Verba quibus Plutarchus Catilinae mores pingit Sallusti verbis simillima esse concedo, cf. Sall. Catil. 5, 4 „animus audax, subdolus, varius“ nil autem prohibet, quominus ea Ciceroni tribuamus, praesertim cum quae sequuntur a Sallustio abhorreant cum Cicerone consentiant. Inter Catilinae

scelera stuprum cum filia commissum et necem fratris Plutarchus nominat. Sallustius eum stuprum cum sacerdote Vestae fecisse et filium necasse tradit. De incesto virginis Vestae Ciceronem tacuisse crediderim, fuit enim Fabia illa soror Terentiae uxoris Ciceronis (cf. Ascon pg. 82, ubi Cicero in oratione in toga candida habita scribit haecce: „cum ita vixisti ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus etiam cum culpa nulla subesset crimen afferret.“ adicit Asconius „ita et suis pepercit et nihilo levius inimico summi obprobrii turpitudinem objecit.“) Perbene uti possumus hoc argumento e silentio, quis enim credat, futurum fuisse, ut Plutarchus tantum facinus omitteret, si hoc loco Sallustium excerpsisset? cf. praeterea verba Ciceronis „cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti“ (ibid.)

Unde Plutarchus narrationem de fratre interfecto hauserit, quam in Sullae quoque vitae capite XXXII profert, dici non potest, nisi sumitur, Plutarchum Q. Caecilium, sororis Catilinae virum, significare, quem a Catilina Sullanis temporibus trucidatum esse scimus. cf. Ascon pg. 75, et Q. Cic. de pet. consul. § 9.

Quae de nefario illo jure jurando apud Plutarchum legimus discrepant cum Sallustio, cf. Sall. Catil. XXII. 1—4. „Fuere ea tempestate qui dicerent Catilinam ...., quom ad jusjurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse .... nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum qui poenas dederant. Nobis pro magnitudine ea res parum comperta est.“ Cujus vero plurimum intererat, ut Ciceronem invidia liberaret? scilicet Ciceronis ipsius et amicorum, profecto Sallustius fontem Plutarchi indicare nobis videtur, Ciceroni ipsi qui hujus rei nusquam mentionem facit verba illa non tribuenda censeo, sed nihil impedit, quominus hoc loco Tironem fontem fuisse existimemus. Quae apud Sallustium rumores sunt et opiniones, Plutarchus facta esse narrat, quin etiam conjurati non sanguinem bibisse sed carnem gustasse dicuntur. —

Praeter Etruriam Galliam Cisalpinam eo tempore solli-

citatam esse, aeque ac Sallustius (Cat. XLII). Cicero indicat (cf. in Cat. II. 6 et pro Sulla 53) [1]).

Deinde Plutarchus exponit, qualis eo tempore fuerit condicio urbis Romae verbis tam incertis, ut cuivis fonti attribuere possis. —

In capite XI [2]) ubique Sallusti genus dicendi apparere Weizsaeckerus contendit (pg. 423) quod ut demonstraret attulit locos hosce. Cat. XXI. 3, XXVI. 1, XXIII. 5—XXIV. Sed alio ordine apud Plutarchum haec proferri manifestum est. Praeterea Sallustius tradit, Fulviae narrationibus homines metu permotos esse ad consulatum Ciceroni mandandum, cujus mulieris Plutarchus postea demum mentionem facit; Curius omnino ei ignotus est, quem Cicero quoque nunquam proditorem nominat. — Mea quidem sententia totum hoc caput optime cum Cicerone quadrat cf. pro Murena 49. „Catilinam interea alacrem atque laetum.... inflatum cum spe militum tum conlegae mei.“ Quae de Antoni inertia et lentitudine legimus dilucide Ciceronem sapiunt. Ciceronem vero saepe gloriari, se equestri loco natum consulem factum esse, quis nesciat? cf. Ascon. 73 „solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus.“

Videmus igitur nonnullis locis similitudinem quandam esse inter Plutarchi et Sallusti verba, res ipsas autem ita narrari, ut nullo modo ad Sallustium referri possint, sed ad Ciceronem spectent. Quare existumo, omnino Sallusti Catilinam Plutarcho fructum non praebuisse. Neque enim persuadere mihi possum, ita eum Sallustio usum esse, ut modo hunc modo illum locum excerperet et Sallusti verbis quaesitis atque lectis suam narrationem exornaret, de summa rerum vero ab eo abhorreret; praesertim cum postea quoque nil inveniamus, quod ad Sallustium referri debeat.

Tribuamus igitur Ciceroni quae Ciceronis sunt. —

Verba quae initio capitis XII legimus „προάγωνες δὲ μεγάλοι τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν ἐξεδέξαντο“ Isocratis μυροθήκιον

1) Falso Weizsaeckerus putat, Sallustium Caesaris causa tumultum in Gallia citeriore praetermisisse.

2) Lagus, pg. 73 hoc caput ad Ciceronem non referendum esse censet, nam non nisi frigide eum laudari.

nobis in mentem revocant. — Quae de filiis proscriptorum Plutarchus narrat, perbene consentiunt cum Cicerone, cf. in Pis. 4 „ego adolescentes bonos et fortis sed usos ea condicione, ut si essent magistratus adepti rei publicae statum convulsuri viderentur, comitiorum ratione privavi.“ Quintilianus quoque hujus rei mentionem facit, cf. Instit. or. XI. 1, 85 „mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum filiis fecit, assecutus itaque est ut aliquid eorum quoque causa videretur facere contra quos diceret.“

Sequitur lex agraria, quam iisdem fere verbis Plutarchus tractat, quibus Cicero in orationibus suis utitur. Ne longus sim in afferendis locis cf. de leg. agr. II. 32. Quae de Antonio invenimus e Cicerone sumpta esse pro certo credo.

Recordemur, quomodo Cicero saepius Antonii mentionem faciat. Collegam cum tribunis de lege agraria conspirasse significat, cf. de leg. agr. II. 103 „concordia quam mihi constitui cum collega invitissimis his hominibus.“ cf. in Pis. 5 „ego Antonium conlegam multa in re publica molientem patientia atque obsequio mitigavi.“ Catilinae familiaritatem saepe si obicit, cf. praeter orationem in toga candida habitam pro Sestio 8 „ego de Antonio nihil dico praeter unum, nunquam illum in illo summo timore ac periculo civitatis neque communem metum omnium nec propriam nonnullorum de ipso suspicionem aut infitiando tollere aut dissimulando sedare voluisse, in quo collega moderando et sustinendo ....“, in oratione pro Murena habita (§ 49) Cicero illum inflatum collegae promissis esse dicit cf. quoque pro Sestio 12, ubi Sestius Ciceroni adjutor fuisse dicitur ad excitandum Antonium, cohortandum, accusandum, impellendum; multa Sestium, cum esset quaestor Antonii, sensisse, providisse, ad Ciceronem detulisse. —

De provinciis cf. in Pis. 5 „ego provinciam Galliam quam cum Antonio commutavi, quod ita existimabam tempora rei publicae ferre, in contione deposui“ cf. ad Attic. II. 1, 3.

Verba vero Plutarchi „κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Ἀντώνιον ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον αὐτῷ τὰ δεύτερα λέγειν ὑπὲρ

τῆς πατρίδος [1]) totum spirant Ciceronis ingenium, quem ejusmodi dicacitatibus abundasse multa docent exempla. Semper enim ille πρωταγωνιστεῖν sibi videbatur, nonnunquam Antonium cum histrionibus et ejus modi hominibus comparat, cf. ad Attic. I. 12, 1. 13, 6. 14, 7. „Teucris illa“, cf. quoque Ascon. pg. 79. „in introitu gladiatorem in victoria quadrigarium“. Denique constat eo ipso tempore, quo hypomnema scriptum est, Ciceronem Antonio graviter succensuisse. cf. ad fam. V. 5. qua in epistola collegam ingratum et beneficiorum immemorem objurgat multis verbis. —

Iam ad legem agrariam Plutarchus revertitur, orationes commemorat in senatu et ad populum habitas, Ciceronem priore oratione tribunos ita increpasse, ut nemo contra dicere auderet, cf. ejus magnas voces, de leg. agr. I, 23 ff. III. 1. „commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si quae apud vos de me deferunt ea coram potius me praesente dixissent“

ἐπεὶ δὲ προεκαλοῦντο τοὺς ὑπάτους ἐπὶ τὸν δῆμον οὐδὲν ὑποδείσας ὁ Κικέρων.	quoniam me in contionem vestram ..... evocaverunt. III. 16. ego is consul qui contionem metuam qui tr. pl. pertimescam. II. 101.

Verba quoque „τοὺς δημάρχους ἐποίησε παρὰ τοσοῦτον τῷ λόγῳ κρατηθέντας ὑπ' αὐτοῦ“ totum Ciceronem redolent.

Capite XIII copiose et verbose Plutarchus de Ciceronis oratione pro Roscio Othone habita certiores nos facit, ita ut manifestum fiat, Ciceronem ipsum autorem esse. Cujus praeter eum intererat, ut hanc rem levis momenti tot verbis exornaret atque augeret? Legis Rosciae Livius quoque, perioch. lib. 99, Velleius II, 32, Dio 36, 42 mentionem faciunt sed in exponendo anno a. u. 687, quo tempore lata est, de Ciceronis oratione nihil invenimus. Ciceronem ipsum haud raro dicendi vim et tractandi animos facultatem extulisse quis nesciat? cf. Orat. 103. „nulla est enim in ullo genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua nisi

---

1) Recte Weizsaeckerus 424 dicit „der Ausdruck χειροήθης ἐγεγόνει ist vielleicht der von Cicero im hypomnema gebrauchte. cf. in Pis. 5. ‚mitigavi‘.“

perfectio at conatus tamen atque adumbratio." Praecepta quoque eloquentiae quae Plutarchus exhibet ei tribuenda censeo, quem imprimis „τῷ λόγῳ τὸ λυποῦν ἀφαιρεῖν τοῦ συμφέροντος" miro modo calluisse multa docent exempla. cf. Quintil. XI, 1. 85. „mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis ut Cicero de proscriptorum filiis fecit." cf. Plin. hist. nar. VII. 30. —

Splendidissimum hujus artis specimen oratio fuit de qua agitur, verba ipsa Plutarchi fontem significant. Semper Cicero hanc legem plebi valde placere contendit. cf. pro Mur. § 40. „lex haec, quae ad ludos pertinet est omnium gratissima". Ascon. in Corn. 70. „cum legem Aureliam cum Rosciam non modo accepit (plebs) sed etiam efflagitavit."

Recte monuerunt viri docti, prolusiones illas apud Plutarchum non eodem ordine quo apud Ciceronem enumerantur cf. ad Attic. II. 1. in Pis. 4, tractari. Hoc autem parvi momenti est, nam primum ne illae quidem enumerationes plane congruunt, deinde nihil prohibet, quominus sumamus Ciceronem in hypomnemate eo narrandi ordine usum esse, ut a minoribus rebus ad majores pingendas quasi ascenderet, tertium fortasse Plutarchus ipse seriem rerum mutavit, quem nonnulla omisisse apparet. Vix enim persuadere mihi possum, futurum fuisse ut de oratione pro Rabirio habita Cicero taceret, mirantibus autem viris doctis [1]) nihil nos de lege Tullia de ambitu invenire, adsentiri non possum, neque enim in epistola ad Attic. II. 1. neque in oratione in Pis. 4 neque alio loco Cicero eam commemorat excepta oratione pro Murena habita (3, 5, 46) ubi re vera Sulpicium hujus legis autorem esse contendit, quam multis disciplicuisse videmus. Itaque Cicero, ut invidiam vitaret silentio eam praetermisit. —

Prolusionibus expositis ad Catilinam Plutarchus revertitur narrans, conjuratos quos primum pavor in occulto tenuerat metu, ne a Pompeio qui jam redire cum exercitu dicebatur opprimerentur, ad maturandum scelus excitatos esse. Affirmaverim haec ad Ciceronem spectare. Liceat mihi

1) Weizsaecker, Lagus, Buresch.

jam nunc antecapere verba capitis XVIII ubi legimus, conjuratos constituisse omnes senatores civiumque quam plurimos interficere „φείδεσθαι δὲ μηδενὸς ἢ τῶν Πομπηΐου τέκνων· ταῦτα δ' ἐξαρπασαμένους ἔχειν ὑφ' αὐτοῖς καὶ φυλάττειν ὅμηρα τῶν πρὸς Πομπήϊον διαλύσεων." Solus Plutarchus haec exhibet. — Ciceronem semper summopere Pompei familiaritatem appetivisse notum est. cf. ad fam. V. 7. ad Attic. I. 14. I. 16, 6. de offic. § 78. Q. Cic. de pet. cons. § 51. — Itaque etiam atque etiam sua facinora cum Pompei comparat, saepe absentis amici rationem habuit in orationibus. cf. de leg. agr. I. 5. ubi re vera contra Pompeium legem illam latam esse contendit, in Catil. III. § 26. IV. 21. Pompeius ipse Ciceroni „hoc tribuit ut diceret frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse nisi Ciceronis in rem publicam beneficio ubi triumpharet esset habiturus". Quantam vero gratiam Cicero meritus est ab eo, cui non modo patriam sed etiam liberos ex scelestissumorum hominum manibus atque faucibus servaverat!

De militibus Sullanis, qui imprimis Catilinam excitabant et ad comitia Romam se congregaverant cf. pro Mur. § 49 ubi Catilinam pingit in petitione consulatus circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum globo. Prodigiorum quoque Cicero saepius mentionem facit- cf.

Plut. Cic. XIV.	Cicero. in Catil. III. 18.
„ἐδόκει δὲ καὶ τὸ δαιμόνιον προσημαίνειν τὰ πρασσόμενα σεισμοῖς καὶ κεραυνοῖς καὶ φάσμασι."	„ut haec quae nunc fiunt canere di immortales viderentur .... terrae motus fulminum jactus, visas nocturno tempore ab occidente faces."

Etiam in poëmate hoc Cicero commemorat, cf. de divinat. I. 18, ubi Quintus fratris versus affert „quos in secundo consulatus Urania musa pronuntiat:

„aut cum terribili percussus fulmine civis luce serenanti
„vitalia lumina liquit? aut cum se gravido tremefecit corpore
„tellus? jam vero variae nocturno tempore visae terribiles
„formae bellum motusque monebant."

Num verisimile videtur esse, eum in hypomnemate haec praetermisse?

De verbis „αἱ δ' ἀπ' ἀνθρώπων μηνύσεις ἀληθεῖς μὲν ἦσαν, οὔπω δ' εἰς ἔλεγχον ἀποχρῶσαι κατ' ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ δυναμένου μέγα τοῦ Κατιλίνα". cf. in Catil. III. 4. „quoniam vestris auribus propter incredibilem magnitudinem sceleris minorem fidem faceret oratio mea". cf. quoque in Catil. II. 3. —

Reliquam hujus capitis partem apud Ciceronem iisdem fere verbis expressam legimus. cf. pro Mur. 50—52[1]). Ne longus sim, omitto singula hoc excepto; miror quod viri docti non animadverterunt narratiunculam illam de duobus capitibus praeter Plutarchum solum Ciceronem memoriae tradidisse, quod perbene sententiam nostram defendere videtur. —

In capite XV Plutarchus narrat, Crassum et complures nobiles noctu ad Ciceronem venisse, ut eum de litteris quibusdam certiorem facerent quae conjurationem indicabant. Tenor verborum ipse Ciceronem autorem esse demonstrat, omnia enim tam diligenter, accurate, distincte exponuntur, ut ad alium referri nullo modo possint. cf. Sall. Catil. 30. 1. ff. cujus relatio a Plutarcho abhorret, et Cass. Dion. 37. 31. qui breviter haec attingit. Praeterea Plutarchus ipse fontem nominat eo loco, quem supra attuli. vit. Crassi. XIII „ἐν δὲ τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα τὰ περὶ τὸν Κατιλίναν ἐξηγουμένην, ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν[2]).

Verba quae initio capitis XVI legimus „τὰ μὲν ἔξω πράγματα Κοΐντῳ Μετέλλῳ διεπίστευσε" κ.τ.λ. repugnant Sallustio cf. Cat. XXX. 3—5, inveniuntur apud Ciceronem, ad fam. V. 2. „illud adjunxi, mihi tecum ita dispertitnm officium fuisse in rei publicae salute retinenda ut ego urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, tu Italiam et ab armatis hostibus et ab occulta conjuratione defenderes".

Etiam in oratione in Catil. II. 5, 26. ex eorum numero qui in partes Italiae ad opprimendos conjuratorum conatus

---

1) Falso Lagus, 81. existimat orationem pro Murena a Plutarcho excerptam esse.

2) In contrarium Besserus pg. 31. ff. nonnulla profert non digna quae refutentur.

missi erant unum Q. Metellum nominat „quem ego hoc prospiciens in agrum Gallicum Picenumque praemisi". Firmissimo praesidio fortissimorum virorum se usum esse Cicero ipse compluribus locis testatur cf. pro Mur. 52, pro Sulla 51. de verbis „Κατιλίνας .... ἐκπηδᾶν ἔγνω". cf. in Catil. II, 1. „evasit, erupit".

Reliqua hujus capitis parte in discrimen vocamur[1]), omnia vero tam arte cohaerent, ut divelli vix possint. Tradit Plutarchus Catilinam Marcio! et Cethego mandasse, ut Ciceronem interficerent, Sallustius Cornelium et Vargunteium nominat. cf. Cic. in Catil. I. 9. „reperti sunt duo equites Romani", postea Cornelium nominat, pro Sulla 18 et 52, Varguntei quoque mentionem facit nonnullis locis, sed nusquam hoc flagitium ejus commemorat. Plutarchi Marcius omnino ignotus est, quare corruptelam hic exstare verisimile est, unde Cethegum sumpserit dici non potest. Equidem errorem Plutarchi notandum esse censeo, nam etsi conceditur, Ciceronem non fontem esse, cui autori hunc lapsum tribuamus?

Quod ad tempus conati nefarii attinet, Plutarchus contradicit Sallustio, qui illud ante S. C. ultimum ponit, consentit cum Cicerone. cf. in Catil. II. 12. „hesterno die cum domi meae paene interfectus essem." Cetera quoque ad Sallustium referri non possunt, dilucide spectant ad Ciceronem, in Cat. II. 12.

ὁ Κικέρων τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν ἐκάλει	senatum in aedem Jovis Statoris vocavi

Sallustius XXXII. pro templo curiam habet. Lagus putat (pg. 89) Plutarchum ea verba quae de templi situ facit e peregrino fonte excerpsisse, neque enim futurum fuisse ut domesticus autor rem narraret omnibus Romanis notam. Quis autem non intelligit, ipsi Plutarcho haec tribuenda esse, qui Romae fuerat et Graecis res Romanas explicare volebat? — Conjuratorum complures cum Catilina in senatum venisse, Cicero testatur, in Catil. I. 8. praeterea cf.

---

1) Lagus pg. 86. sumit Plutarchum e compluribus fontibus hausisse. Weizsaeckerus et Bureschius difficultates nonnullas praetermiserunt.

Plut. Cic. XVI.	In Catil. II. 12.
συγκαθίσαι μὲν οὐδεὶς ὑπέμεινε τῶν συγκλητικῶν, ἀλλὰ πάντες ἀπὸ τοῦ βάθρου μετῆλθον.	principes ejus ordinis partem illam subselliorum ad quam ille accesserat nudam atque inanem reliquerunt.

De conviciis quibus Catilina consulem increpavit (Sall. Cat. XIII.) Plutarchus tacet, num credis Ciceronem maledicta illa enumerasse? cf. quoque

Plut. Cic. XVI.	In Catil. I. 10.
ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι. δεῖν γὰρ αὐτοῦ μὲν λόγοις ἐκείνου δὲ ὅπλοις πολιτευομένου, μέσον εἶναι τὸ τεῖχος.	egredere aliquando ex urbe .... magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit.

Verbis „αὐτοῦ μὲν λόγοις ἐκείνου δὲ ὅπλοις πολιτευομένου“ Ciceronem ipsum in hypomnemate usum esse persuasum habeo. —

Catilinam cum trecentis armatis ad Manlium erupisse solus Plutarchus tradit, Sallustius XXXII cum paucis, Cicero in Catil. II. 4. parum comitatum eum profectum esse contendit. Sallustio igitur Plutarchus contradicit, Ciceroni non impugnat, is enim moleste fert, quod non omnes conjuratos secum eduxerit Catilina. cf. in Catil. I. 24. „a quo jam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati. —

Fasces et signa Cicero commemorat in Catil. II. 13. De numero militum Catilinae Plutarchus cum Sallustio discrepat (Cat. 56.) apud Ciceronem nihil de hac re legimus. Lentulum senatu motum postea dignitatem recepisse Cicero significat pro Clu. 120. Narratiunculam de Lentuli cognomine Ciceroni non tribuendam esse demonstrant verba „λέγεται δὲ καί“ quibus Graeci indicare solent, primario fonti nonnulla se inserere aliunde sumpta. (cf. quae in cap. XX de Caesare adjunguntur.) Verba „σούραν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὴν κνήμην λέγουσιν“ de suo adjecit, ut Graeci facetias illas intelligerent. —

Statim autem ad priorem fontem Plutarchus revertitur, de vaticiniis quibus exagitabatur Lentulus cf. in Catil. III. 9.

et pro Sulla 70. „ἐλπίσι κεναῖς“ — „stulte sperasse“, „ψευδομάντεις καὶ γόητες ἔπη πεπλασμένα ᾄδοντες“ — „perversam atque impiam religionem“ verba „μὴ διαφθείρειν μέλλοντα τοὺς καιροὺς ὥσπερ Κατιλίνας“ non e Plutarchi sed vatum illorum sententia dicta sunt, itaque non impugnant Ciceroni. —

In subsequenti quoque capite nonnulla solus Plutarchus narrat, sed levis sunt ponderis nec non ad Ciceronem referri possunt, cum cetera ad eum spectent. De Pompei liberis supra diximus, de conjuratorum consiliis cf. in Catil. III. 8. cf. quoque in Catil. IV. 13 „attribuit nos trucidandos Cethego et ceteros cives interficiendos Gabinio“. Caedem atque incendium in Saturnalia dilata esse Cicero testatur. cf. in Catil. III. 10, 17, arma in Cethegi domum comportata esse, cf. in Catil. III. 8, 10. Plutarchus de incendio uberius agit cum Sallustio non consentiens, is enim qui alio modo has res explicat, non in centum sed in duodecim partes urbem ad incendium distributam esse contendit. Allobrogum legatos duos fuisse apud unum Plutarchum invenimus. Extremo capite vigilantia et industria Ciceronis laudibus extolluntur, nimiis ut videtur nonnullis [1]), sed hoc ipsum confirmat Ciceronem excerptum esse. cf. de leg. agr. II. 103 „ut jam tandem illi, qui honori inviderunt meo tamen vos universos in consule deligendo plurimum vidisse fateantur.“

Procedamus ad caput XIX. De Silani et Pisonis indiciis de Lentulo vestem mutante apud Ciceronem et Sallustium nihil legimus, sed haec levia sunt. G. Sulpicii Sallustius mentionem non facit, Cicero iisdem fere verbis quibus Plutarchus utitur. cf.

Plut. Cic. XIX.	in Catil. III. 8.
„Γάϊος δὲ Σουλπίκιος εἷς τῶν στρατηγῶν ἐπὶ τὴν οἰκίαν πεμφθεὶς τοῦ Κεθήγου πολλὰ μὲν ἐν αὐτῇ βέλη καὶ ὅπλα πλεῖστα δὲ ξίφη καὶ μαχαίρας· εὗρεν.“	„C. Sulpicium praetorem misi, qui ex aedibus Cethegi si quid telorum esset efferret, ex quibus ille maximum sicarum et gladiorum numerum extulit.“

Sallustius orationem tertiam in Catilinam habitam non commemorat, quam vespere dictam esse Cicero ipse testatur, in Catil. III. 29. „quoniam jam nox est“.

Cetera ita exponuntur, ut ad eum non referri vix possint. Cujus enim intererat narrare, Ciceronem ea nocte in domo „φίλου γειτνιῶντος“ fuisse, nisi ipsius Ciceronis? Quis tot verbis explicare potuit, quae secum ille deliberaverit. Bene haec quadrant cum multis locis, quibus similia profert. cf. in Catil. I. 5, 12, 27, 28, 30. II. 6, 12, 14. III. 7. IV. 11, 12, 13, 18, 19. Verba „οὐδ' ἄλλως δοκῶν εὐτολμότατος εἶναι τοῖς πολλοῖς“, quae laxe adjuncta videntur esse, Plutarcho ipse tribuenda censuerim, Ciceronem enim ita de se locutum esse non credo. Plutarchus autem, si rem omnem spectas Ciceroni haud valde favet[1]), sin vero magnis laudibus eum extollit, hoc non tam benivolentia Plutarchi quam autoris quem excerpsit accidit. — Cicerone talia animo agitante mulieribus prodigium illud evenit, quod iisdem fere verbis Dio commemorat, quem e Plutarcho non hausisse infra demonstrabimus. At Servius, ad Vergil. Buc. VIII. 106, hanc flammam ostendisse contendit, Ciceronem eodem anno consulem futurum esse. Cicero tacet. Sed errasse Servius videtur, omen illud enim apud Plutarchum et Dionem diligentius et accuratius enarratur quam apud Servium, neque ea quae in initio hujus capitis apud Plutarchum legimus a superiore capite sejungi possunt, eundem fontem excerptum esse apparet. Quae si quis non probat, tamen verisimilius est, Servium errasse quam Plutarchi fontem et Livium[2]), quem Dio secutus est. —

Verbis, quae de Terentiae ingenio Plutarchus exhibet, viros doctos[3]) in discrimen vocatos esse miror. Recordantes enim, Plutarchum in vita Ciceronis prae ceteris Tironem se-

---

1) cf. vit. Cic. cap. XXIV, XXXV, et comparat. Dem. et Cic.

2) Lagus pg. 97 demonstrare conatus est, Servio fidem esse habendam, nusquam enim Ciceronem hujus rei mentionem facere.

3) Peterus pg. 133, hoc loco nisus demonstrare conatus est, omnino Ciceronis hypomnema in enarranda conjuratione Catilinaria Plutarcho non ante oculos fuisse. Lagus pg. 98 et Thouretus, 314, nullo modo haec ad Ciceronem referri posse contendunt neque enim futurum fuisse ut ita de conjuge loqueretur. Plutarchum maledicta in Terentiam conferre suo jure Bureschius negat, qui hunc quoque locum hypomnemati tribuit.

cutum esse, quem Terentiae haud ita favere constat, concedemus Plutarchum hoc loco e memoria nonnulla addidisse, quae apud Tironem legerat. At verba „ὡς αὐτός φησιν ὁ Κικέρων" Ciceronem ipsum fontem nominant! sane, neque illa ab eo abjudicanda censeo, cujus facete dicta a Tirone collecta saepe Plutarcho fructum praebuerunt.

Verbis „ταῦτά τε πρὸς αὐτὸν ἔφρασε" ad hypomnema Plutarchus revertitur. Q. fratrem et Nigidium Figulum in hypomnemate honoris causa commemorasse videtur, ut fratri carissimo et amico familiari particulam gloriae suae tribueret. —

Sequitur illud patrum concilium, quo de supplicio a conjuratis sumendo actum est. Plane igitur omisit Plutarchus quae pridie evenerant, Tarquinii indicium de Crasso, quod accurate enarrat Sallustius 48, breviter perstringit Dio 37, 35, et ea quae Catulus et Piso contra Caesarem machinabantur. Sall. 49.

In vitis Crassi, cap. XIII, et Caesaris, cap. VII, VIII, scriptis post Ciceronis vitam, ubi alios fontes secutus est, Plutarchus quoque has res commemorat et testatur, se in hypomnemate illas non legisse. Itaque manifestum fit, Plutarchum, cum hypomnema excerperet, nondum fontes illos legisse, quibus postea usus est, qui denique ad Ciceronis expositionem consiliorum referendi sunt, cf. vit. Crass. XIII „ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερὸς ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν προστριβόμενος. Ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν".

Nam si Plutarchus praeter hypomnema eos scriptores ante oculos habuisset, fieri non potuit, quin jam tum miraretur, quod Cicero ipse secum discreparet. Nec probabile est futurum fuisse, ut Plutarchus eam relationem parvi aestimaret, sine dubio enim intellexisset Ciceronis expositioni consiliorum majorem fidem tribuendam esse quam hypomnemati, quod vivis Crasso et Caesare editum erat. —

At ea, quae de Caesare legimus in fine cap. XX, ad hypomnema referri non possunt. Sane, non nego. Unde vero verba illa effluxerunt? Plutarchum, qui adhuc uno hypomnemate videtur usus esse, hoc loco a compluribus auto-

ribus auxilium petivisse[1]) credi non potest. Mea quidem sententia Plutarchus, cum primum Caesaris mentionem faceret, de eius ingenio, consiliis, inceptis nonulla e memoria addidit, quae nescio ubi legerat[2]). Verba enim, „τοῦ μετὰ ταῦτα δικτάτορος γενομένου — ἡ Καῖσαρ ἐκείνοις κολάσεως“ continuationi sermonis interponuntur. Verbis „ἐπεὶ δ' οὖν ἡ γνώμη περιῆλθεν εἰς αὐτὸν“ ad hypomnema Plutarchus revertitur.

Caesaris sententiam cum Ti. Neronis Plutarchus confundit, (cf. Plut. vit. Catonis XXII. Caes. VII) de Nerone tacet sicuti Cicero qui ne eo quidem loco, quo omnium qui sententias dixerant nomina enumerat, Neronis mentionem facit. cf. ad Attic. XII. 21, 1. Sall. Catil. 50, 4. Drumann V, 525, N. 42. —

Ciceronis orationem haud parvi momenti fuisse non recte tradit Plutarchus, sed hoc ipsum Ciceronem redolet, qui aegre tulit, quod Brutus Catonis orationi plus tribueret quam Ciceronis. Verba „ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον“ κτλ. autorem significant, cujus intererat rem ita exponere, ut Ciceronem invidia liberaret. Nec parvi momenti est quod legimus omnes Ciceronis amicos Caesaris sententiam probasse, quia Ciceroni eam placere credebant. —

Operae pretium est videre, quomodo Plutarchus hoc patrum concilium exponat in vitae Catonis, quam magna ex parte Thraseae Paeto debet (cf. cap. 25 et 37) capite XXII. —

Legimus sicuti apud Sallustium, Silano qui de conjuratis supplicium sumundum decreverat Caesarem se opposuisse, cui cum ceteri assentirentur, Catonem oratione luculenta effecisse, ut nefarii illi capitis damnarentur. Ciceronis mentio non fit, neque verisimile est ejus verba tantum valuisse, quantum gloriatus est.

Cassius Dio quoque cum Sallustio quadrat (cf. 37, 36). — Ea quae extremo hoc capite apud unum Plutarchum nar-

1) Lagum, pg. 100, verba τινὲς δέ φασι- permoverunt, ut Plutarchum e compluribus fontibus hausisse existimaret. Dübi pg. 861 Livium nominat. Bureschius Plutarchum in vitis Crassi, Caesaris, Ciceronis ex eodem fonte hausisse putat.

2) cf. quae perbene Thouretus 314 de Plutarchi genere scribendi adfert.

rantur item Ciceronem sapiunt. Supplicio decreto Caesar publicationi resistebat, sed ne tribuni quidem eum adjuverunt, Cicero autem hoc incepto destitit, scilicet ut quam mitissimus esse videretur.

At dixerit quispiam non futurum fuisse, ut Cicero commemoraret, Caesarem a Catone in suspicionem vocatum esse. Sed Catonis oratio omnibus nota fuit, quam scriptam memoriae tradendam curasse Cicero dicitur (Plut. Cato. XXIII). Silentio autem praetermisit, ut Plutarchus testatur Caes. VII, Caesarem exeuntem senatu ab equitibus Romanis gladiis petitum esse, itaque hoc loco apud ejus excerptorem nihil ejusmodi legimus. —

De capite XXII pauca tantum dicenda sunt, verba enim manifeste docent, quem fontem Plutarchus ante oculos habuerit, nec sine jure Heerenius contendit, pg. 186. ipsa Ciceronis verba nobis superesse. Totum enim Isocratis myrothecium atque omnes ejus discipulorum arculas invenimus [1]). Restat ut caput XXIII inspiciamus. Hypomnemate ad exitum properante aliunde Plutarcho auxilium petendum erat, itaque in hoc capite complures relationes quasi conglutinatae videntur esse. Quae de Ciceronis praeclarissimo jure jurando legimus dilucide ad hypomnema spectant (cf. ad fam. V. 2, 7. in Pis. 6—7) quod quasi epilogum consulatus extremo libro Ciceronem effinxisse dicendo supra demonstrare conati sumus. Caesarem quoque cum tribunis conspirasse Schol. Bob. 302 docet „cum tamen C. Caesar praetor Metello tribuno plebis adsisteret". Sed Cicero, quoad videre ego possum, praeter Metellum autorem injuriae illius neminem nominatim significat, itaque dubitari potest, an in hypomnemate Caesarem inter obtrectatores commemoraverit. cf. Ascon. 74, qui Ciceronem in expositione consiliorum suorum Caesarem inter refragatores nominasse contendit.

Verba „ἐφ' οἷς ἔτι μᾶλλον — τὴν Κικέρωνος δυναστείαν" hypomnemati non tribuenda esse apparet. Ne ea quidem [2])

---

1) Hoc ne Besserum quidem effugit, qui haec e Cicerone non hausta esse affirmari posse negat, sed tamen sumit, Livio! declamationes illas tribuendas esse, quia Livium in prioribus capitibus excerptum esse demonstrasse sibi videtur.

2) Weizsacker.e pg. 428 hoc loco laudationem Catonis excerptam

quae de laudibus, quibus Cato Ciceronem celebravit, apud Plutarchum exstant, e Cicerone hausta esse existimo; legimus enim apud Ciceronem, in Pis. § 6. „me Q. Catulus princeps senatus et autor publici consilii frequentissimo senatu parentem patriae nominavit“. A Catone se hoc modo ornatum esse nunquam Cicero gloriatur. Neque verisimile est eum scripsisse sibi primo contigisse, ut pater patriae appellaretur, quia omnes eo tempore sciebant, Camillum ita appellatum esse. Sed haec leviora sunt neque multum valent ad illustrandam quaestionem nostram. Sin autem rem omnem spectas facile concedes, Plutarchi relationem exceptis perpaucis locis e Ciceronis hypomnemate haustam esse. — Quanta vero autoritas Plutarcho tribuenda sit apparet, qui unum Ciceronem secutus totus ex eo pendet. Sane Cicero nonnulla de consulto obscurat et omittit, sed hoc fructum quem nobis praebet non deminuit, ceteri enim scriptores efficiunt, ut certo sciamus, quibus locis Plutarchus cum Cicerone a veritate deflectat. —

Suetonius.

Summi momenti est Suetoni relatio, qui in vitae Divi Julii capp. 9, 14, 17 suspicionem de Caesare exortam commemorat. Graviter dolemus quod non totam conjurationem, sed ea tantum quae ad Caesarem pertinent, Suetonius pertractat. Complures enim fontes nominat, qui Caesarem coarguunt conjurationis participem fuisse. cf. cap. 9, „meminerunt hujus conjurationis Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in edictis, M. Curio pater in orationibus, de hac et significare videtur Cicero in quadam epistola ad Axium referens, Caesarem in consulatu confirmasse regnum, quod aedilis cogitarat“. Etiam M. Actorius Naso testis profertur.

Quatuor autores igitur invenimus, qui adhuc nobis ignoti erant, quorum scripta deperdita sunt. Ad eosdem fontes ea quoque, quae in capp. 14 et 17 exstant referenda esse facile

esse sumit. Bureschius pg. 233 existimat, Ciceronem in fine libelli laudes a Catone sibi tributas enarrasse, itaque haec quoque ex hypomnemate effluxisse.

concedes. De Bibuli edictis dici nil potest nisi, abundasse ea conviciis in Caesarem cf. cap. 49. De Curionis orationibus et de M. Actorio Nasone unus Suetonius certiores nos facit. De Tanusio Gemino autem fortasse conjectura nonnulla consequi possumus, qui compluribus locis nobis occurrit. — Inter eos quos Sullanis temporibus Catilina trucidavit, L. Tanusius nominatur, qui fortasse necessitudine quadam cum autore nostro conjungitur. —

Legimus apud Strabonem [1]) XVII. 829. „Καὶ Τανύσιος δὲ ὁ τῶν Ρωμαίων συγγραφεὺς οὐκ ἀπέχεται τῆς τερατολογίας τῆς περὶ τὴν Μαυρουσίαν, πρὸς γὰρ τῇ Λυγγὶ Ἀνταίου μνῆμα ἱστορεῖ καὶ σκελετὸν πηχῶν ἑξήκοντα, ὃν Σερτώριον γυμνῶσαι καὶ πάλιν ἐπιβαλεῖν γῆν. — De eadem re Plutarchus certiores nos facit cf. vit. Sert. IX. Plutarcho Tanusium notum esse constat, cf. vit. Caes. XXII. ubi Tanusius testatur Catonem in senatu suasisse, ut Caesar Usipetibus et Tencteris traderetur. Eadem apud Appianum inveniuntur cf. Celt. 18. „Κάτωνά τε ἐν Ῥώμῃ τῶν τις συγγραφέων φησὶ γνώμην ἐσενεγκεῖν ἐκδοῦναι τοῖς βαρβάροις τὸν Καίσαρα ὡς ἐναγὲς ἔργον ἐς διαπρεσβευσαμένους ἐργασάμενον“. Tanusium ab Appiano significari, qui hoc loco e Plutarcho non hausit, manifestum est. Tanusius igitur a compluribus autoribus excerptus esse videtur [2]). Praecipue Plutarcho eum non modo notum esse sed etiam fructum praebuisse verisimile fit, si comparamus ea, quae in vit. Caes. capp. VII.—VIII. Plutarchus narrat, cum Suetoni relatione in cap. 14. Apparet enim scriptores optime inter se consentire, etsi non eodem modo fontem excerpserunt.

Ut cetera omittam cf. quaeso

Suet. div. Jul. 14.	Plut. Caes. VIII.
„manus equitum Romanorum quae armata praesidii causa circumstabat immoderantius perseveranti necem comminata	„πολλοὶ τῶν Κικέρωνα φρουρούντων τότε νέων [τῷ Καίσαρι] γυμνὰ τὰ ξίφη συνδραμόντες ἐπέσχον. Ἀλλὰ Κουρίων τε λέ-

1) cf. B. Niese. Straboniana, Rh. Mus. 38, pg. 601.

2) cf. Senec. epist. 93, 9. »annales Tanusii scis quam ponderosi sint et quid vocentur«. Tanusi annales a Catullo cf. carm. 26 et 95, exagitatos esse, suo jure Sonnenburg negat. cf. histor. Untersuch. für A. Schaefer pg. 158 ff. Bonn 1882.

est etiam strictos gladios usque eo intentans ut .... vix pauci complexu togaque objecta protexerint". | γεται τῇ τηβέννῳ περιβαλὼν ὑπεξαγαγεῖν". —

Adicit Plutarchus, Ciceroni complures (Pisonem et Catulum significat cf. Caes. VII. et Sall. Cat. 49) opprobrio dedisse, quod eo tempore metu plebis quae mirifice Caesarem amabat, commotus esset, ut Caesarem quem circumventum tenebat e manibus emitteret. Suetonius, cap. 17. tradit: Caesar a L. Vettio indice apud Novium quaestorem, a Q. Curio in senatu inter socios Catilinae nominatus est. Curius e Catilina se cognovisse dicebat, Vettius etiam chirographum ejus pollicebatur. — Caesar. implorato Ciceronis testimonio, quaedam se de conjuratione ultro ad eum detulisse, effecit, ne Curio praemia darentur, Vettium in carcerem coiecit, eodem Novium quaestorem quod compellari apud se majorem potestatem passus esset. Suetonius igitur confirmat ea quae Plutarchus contendit, Caesarem Cicerone adjuvante periculum illud effugisse. Itaque sumam, Suetonium ea quae in capitibus 14 et 17 narrat Tanusio debere.

Appianus.

Appianum in enarranda conjuratione primarium ducem Sallustium secutum esse viri docti consentiunt. Prae ceteris Wiedemannus (Philolog. XXI. p. 273 ff.) demonstravit, omnia quae in capitibus 2—5 apud Appianum legimus ad Sallustium referri posse. Si interdum autores diversa proferunt, Appianum fontem suum negligenter excerpsisse elucet. Nonnulla autem in capitibus 6—7 Appianus aliunde sumpsit, quo vero fonte usus sit, alii aliter judicant[1]). Wiedemannus Plutarchum ei ante oculos fuisse, contendit, neque vero apte, ut hoc demonstraret, attulit locos e Plutarchi vita Caesaris;

1) Wijnne, de fide et autoritate Appiani. Groningae 1855 pg. 43 praeter Sallustium Bruti librum de laudibus Catonis ab Appiano excerptum esse existimat.

Drumannus V. 496 Not. 14, Dübius pg. 869 cum Wiedemanno consentiunt. Schliephackius pg. 22 et Besserus pg. 43. Appianum et Plutarchum ex eodem fonte, Livio, hausisse putant.

quis enim credat tam diligentem fuisse Appianum in fontibus inspiciendis, ut undique materiam congereret? Ab una Ciceronis vita auxilium petendum est. Bureschius contra Wiedemannum demonstrare conatus est, pg. 229, Ciceronis hypomnema Appiano quoque in manibus fuisse. Dixerit quispiam non magni momenti esse, utrum e Cicerone ipso an ex ejus excerptore Appianus hauserit, attamen quaestio haec movenda videtur, nam si Cicerone ipso Appianus usus est, ea quae profert haud parvi aestimanda sunt, quae, si Plutarcho debentur, non flocci facere nos oportet.

Verba Appiani. Ἐμφυλ. II. cap. 6. „Γάιός τε Καῖσαρ οὐ καθαρεύων μὲν ὑπονοίας μὴ συνεγνωκέναι τοῖς ἀνδράσι, Κικέρωνος δ' οὐ θαῤῥοῦντος καί τόνδε ὑπεραρέσκοντα τῷ δήμῳ, ἐς τὸν ἀγῶνα προβαλέσθαι, προσετίθει“ ..... Ciceroni ipsi nemo tribuere potest neque ad Sallustium referri possunt, quadrant autem optime cum Plutarcho. cf. cap. XX, quem hoc loco, ubi primum Caesaris mentionem facit, e memoria nonnulla adjecisse supra diximus. cf. praecipue

οὐ καθαρεύων μὲν ὑπονοίας Κικέρωνος δ' οὐ θαῤῥοῦντος καὶ τόνδε ὑπεραρέσκοντα τῷ δήμῳ .... προβαλέσθαι.	πολλὰς μὲν ὑποψίας παρέδωκεν παριδεῖν ἑκόντα καὶ παραλιπεῖν τὴν κατ' ἐκεῖνον μήνυσιν φόβῳ τῶν φίλων αὐτοῦ καὶ τῆς δυνάμεως.

Hoc imprimis Bureschii sententiam refutat, qui omnino in hac commentationis parte saepius vehementer erravit. Verba Appiani „προσετίθει διαθέσθαι τοὺς ἄνδρας Κικέρωνα τῆς Ἰταλίας ἐν πόλεσιν αἷς ἂν αὐτὸς δοκιμάσῃ, μέχρι Κατιλίνα καταπολεμηθέντος“ apud Plutarchum non inveniri nisi in Caesaris vitae cap. XII. Bureschius contendit. Illam Appianum non excerpisse, ergo Ciceronem ipsum ei ante oculos fuisse. Plane igitur Bureschius, qui graviter de aliorum negligentia queritur, pg. 219, praetermisit locum in Ciceronis vitae capite XXI, τοὺς .... ἄνδρας ἀπαχθέντας εἰς πόλεις τῆς Ἰταλίας, ἃς ἂν δοκῇ Κικέρωνι τηρεῖσθαι δεδεμένους ἄχρι ἂν οὗ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας. —

Praeterea conferas quaeso locos hosce:

App. 6.	Plut. Cic. XXI.
δικαίου τῆς γνώμης φανείσης —	οὔσης δὲ τῆς γνώμης ἐπιεικοῦς —

Κάτων ἤδη σαφῶς ἀνακαλύπτων τὴν ἐς τὸν Καίσαρα ὑποψίαν.	Κάτων ... τῷ λόγῳ σφόδρως συνεπερείσας ἐπὶ τὸν Καίσαρα τὴν ὑπόνοιαν.

Qualis est verborum concentus!

Neque vero semper autores inter se congruere viri docti monent [1]). Appianus. cap. 6. tradit Ciceronem metu ne conjuratorum socii, quorum multi in foro stabant, noctu captivos liberare conarentur, cum Catone suasisse, ut statim de iis supplicium sumeretur. Sane haec discrepant cum Plutarcho, at possunt Ciceroni tribui? Falso Appianus Catonis orationem ante orationem Ciceronis ponit, falso Ciceronem eadem censuisse quae Cato censuerat contendit. cf. ad. Att. XII. 21, 1. ubi Cicero aegre fert, quod parum laudis sibi a Bruto tribuatur. „sed ipse viderit (Brutus), quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse ...... cur ergo in sententiam Catonis? ...... me autem hic laudat, quod rettulerim non quod patefecerim, cohortatus sim.“

Unde igitur effluxit error Appiani? Mea quidem sententia negligentiae et levitati scriptoris tribuendus est, quem parum accurate fontes excerpsisse viri docti permultis exemplis demonstraverunt. Hoc quoque loco Appianum, qui summatim scribere solet, ordinem rerum, quem Plutarchus servavit conturbasse, verba docent qui partim e Plutarcho videntur transsumpta esse. cf.

App. 6.	Plut. XXII.
καὶ ὁ Κικέρων δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ μὴ τὸ συνεγνωκὸς τοῖς ἀνδράσι πλῆθος αἰωρούμενον ἔτι κατ' ἀγορὰν καὶ δεδιὸς περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ ἐκείνων ἐργάσηταί τι ἄτοπον. —	ὁρῶν δὲ (ὁ Κικέρων) πολλοὺς ἔτι τῆς συνωμοσίας ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας ἀθρόους .... τὴν δὲ νύκτα προσμένοντας ὡς ἔτι ζώντων τῶν ἀνδρῶν καὶ δυναμένων ἐξαρπασθῆναι. —
ἕκαστον αὐτῶν ὁ Κικέρων ἐς τὸ δεσμωτήριον μεταγαγὼν ἐπεῖδεν ἀποθνήσκοντας.	γενόμενος πρὸς τῷ δεσμωτηρίῳ ..... τῶν ἄλλων ἕκαστον καταγαγὼν ἀπέκτεινεν.

1) Bureschius pg. 280. Dübius 870.

τοῦ πλήθους ἀγνοοῦντος.	τὴν μὲν πρᾶξιν ἀγνοοῦντες.
τοῖς ἐν ἀγορᾷ παροδεύων ἐσήμηνεν ὅτι τεθνᾶσιν.	φθεγξάμενος μέγα πρὸς [τοὺς ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας] ἔζησαν εἶπεν.
οἱ δὲ διελύοντο πεφρικότες.	τοῦ δὲ δήμου φρίττοντος.

Sed Bureschium audiamus qui, ut demonstret, Ciceronem ipsum de timore suo Appianum certiorem fecisse, locum affert ex oratione, in Catil. IV. 6. „Nunc quidquid est, quocumque vestrae mentes inclinant atque sententiae, statuendum est vobis ante noctem.“ quid ex hoc loco colligi potest? Praeterea versum e secundo poematis libro, quem Nonius nobis servavit, parum apte adsumit,

„atque animo pendens noctu[rna] eventa timebat.“

„Das heisst auf Griechisch etwa: καὶ ὁ Κικέρων δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ.“ Mimine haec probanda sunt.

Primum enim verba apud Nonium non integra sunt, deinde etsi Orelli conjecturam accipimus, tamen nullo modo Bureschii sententia confirmatur. Quis credat, in secundo libro poëmatis extremam conjurationem esse tractatam, praesertim cum multae fuerint eo tempore noctes, quae timorem Ciceroni injiciebant. Denique verbum „eventa“ docet superiorem noctem significari non sequentem. —

Quae in capite VII. apud Appianum de Catilinae morte legimus partim ad Sallustium partim ad Plutarchum referri possunt. Viginti fere milia militum cum Catilina fuisse apud Plutarchum in capite XVI. exstat, exercitus quartam tantum partem militaribus armis instructam esse apud Sallustium, cap. 56, traditum est, cujus verba „[Q. Metellus Celer] sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. neque tamen Antonius procul aberat.“ denuo errorem Appiani effecisse videntur dicentis: „ἐς Γαλατίαν ἐπὶ ἄλλην παρασκευὴν ἀπιόντα, Ἀντώνιος ὁ ἕτερος ὕπατος ὑπ' Ἀλπείοις καταλαβών.“ κτλ.

Denique affirmat Bureschius, pg. 231, ea quae de pugna commissa Appianus commemorat non nisi e Cicerone sumpta esse. Nihil prohibet, quominus Appiani sententiam e Plutarcho haustam esse existimemus, qui brevissime hanc rem perstringit narrans plerosque, cum Romae conjurationem patefactam esse comperissent, dilapsos esse „καὶ μετὰ τῶν

συμμεμενηκότων αὐτῷ διαγωνισάμενος πρὸς Ἀντώνιον αὐτός τε διεφθάρη καὶ τὸ στρατόπεδον" itaque perbene Appianus scribere potuit „οὐ δυσχερῶς" vicisse Antonium. —

De laudibus Ciceronis cf. Plut. Cic. XXII, de Catone

App. 7.	Plut. XXIII.
„Κάτωνος δ' αὐτὸν καὶ πατέρα τῆς πατρίδος προσαγορεύοντος ἐπεβόησεν ὁ δῆμος. καὶ δοκεῖ τισιν ἥδε ἡ εὐφημία ἀπὸ Κικέρωνος ἀρξαμένη."	„ὥστε .... προσαγορεῦσαι πατέρα πατρίδος. Πρώτῳ γὰρ ἐκείνῳ δοκεῖ τοῦτο καθυπάρξαι Κάτωνος αὐτὸν οὕτως ἐν τῷ δήμῳ προσαγορεύσαντος."

Plutarchum hunc locum hypomnemati non debere supra demonstravimus.

Elucet igitur Appianum non a Cicerone sed a Plutarcho auxilium petivisse, quod primo aspectu vix crediderim. Neque enim per se verisimile est, Plutarchum Appiano cuius ratio et genus scribendi a Plutarcho abhorrent fructum praebuisse, neque alio loco Appianum e Plutarchi vitis hausisse constat.

In explicanda conjuratione Appianus, qui de suo nihil attulit nisi errores, nulla ex parte prodesse nobis potest. —

Florus.

Florum, qui breviter bellum Catilinae exponit, Sallustium ducem secutum esse verba ipsa docent. cf.

Flor. II. 12, 1.	Sall. Cat. 16, 5.
„quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur."	„In Italia nullus exercitus Pompeius in extremis terris bellum gerebat.
12, 4.	22, 1.
„additum est pignus conjurationis sanguis humanus quem circumlatum pateris bibere."	„.... humani corporis sanguinem in pateris circumtulisse ..... quo inter se fidi magis forent."
Flor. II. 12, 7.	Sall. 31, 9.
„seque tum palam ac professe incendium restincturum ruina minaretur. "	„tum ille furibundus, quoniam quidem circumventus inquit ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam."

II. 12.	Sall. 61, 2—4.
„quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadavera inventus est.“	„quem quisque vivos pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. ...... Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est.“

cf. quae recte affert Dübius pg. 866.

Eutropius et Orosius.

Eutropium, cujus mentionem facio ne ejus oblitus esse videar, Livium excerpsisse verisimile est. Orosius VI. 6 qui conjurationem agente Cicerone describente Sallustio satis omnibus notam esse putat, nonnulla de exitu tumultus adicit, quae neque ad Ciceronem et Plutarchum, neque ad Sallustium spectant, sed e Livio hausta sunt, quem plerumque excerpere solet. —

Cassius Dio.

Si paulo diligentius Dionem legimus, elucet multa eum proferre quae apud ceteros autores, si singulos spectas, non inveniuntur. Partim cum Cicerone, partim cum Sallustio consentit, praecipue vero cum Plutarcho necessitudine quadam cohaeret. Itaque non mirum est, viros doctos in diversas sententias discedere, quaerentes, e quibus fontibus Dio in hac operis parte hauserit. Liceat breviter exponere, quae Wilmansius[1]), qui primus hanc quaestionem videtur movisse, de Dione proferat. Quia compluribus locis Dio cum Sallustio consentit, elucet eum Sallusti Catilinam „summa diligentia“ inspexisse. Deinde duobus locis statuendum est, eum Ciceronis orationes diligenter legisse et multa inde sumpsisse. Collatis Floro! et Obsequente cum Dione Wilmansius colligit, Livium ei innotuisse. His integris fontibus non contentus ad derivatos quoque se convertisse et Plutarcho usus esse, quin etiam ex infimae autoritatis scriptoribus,

1) Wilmans. de font. et. autor. Dionis Cass. diss. inaug. Berol. 1835.

e Diodoro vel ejus fonte materiam congessisse Dio dicitur. Hoc modo fontes investigandi nil consequi nos posse facile concedes, sed viri docti exceptis paucis similiter judicant [1]).

Unum fontem a Dione excerptum esse Thouretus pg. 318, Grashofius [2]), Bureschius contendunt. Sed falso Thouretus Ciceronis hypomnema fontem fuisse existimat. Grashofius et Bureschius Livium nominant neque vero comprobaverunt hanc sententiam, quam comprobari posse Thouretus negat. Meum est refutata Thoureti sententia perficere quod frustra conatus est Grashofius, postea se demonstraturum esse promisit Bureschius. Atque primum quidem, priusquam ea quae Dio de conjurationibus nobis tradit adgrediar, locum quendam antecapere me oportet, quo adlato Thouretus [3]) constare affirmat, Dioni Ciceronis commentarium „περὶ ὑπατείας“ notum fuisse. —

In capite 21 libri 46, Dio Fufium Calenum et alia maledicta in Ciceronem conferentem facit et haecce:

„προθέμενος γὰρ πάντα τὰ τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι [καὶ γὰρ σοφιστὴς καὶ ποιητὴς καὶ φιλόσοφος καὶ ῥήτωρ καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται] ἔπειτ' οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο, ἵν ἀνάπαλιν προχωρῶν ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην τελευτὴν δε τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται“.

Num haec verba Thoureti sententiam confirmant? Nullo modo, nam si quis totam hanc orationem accuratius legerit, concedet eam aut ad Ciceronis Philippicas aut ad declamationes illas quibus inimici Ciceroni obtrectabant referendam esse; quae Cicero de consulatu suo gloriatus est carpere non

---

1) Linkerus: Sitz Ber. der K. K. Akad. der W. Wien 1854. Hist.-phil. Classe pg. 268

Plutarchum et Dionem imprimis e Sallustio! hausisse opinatur.

Wiedemannus: Philolog. XXII. pg. 498, Sallustium, Plutarchum, Appianum

Schliephackius pg. 32 Livium, Sallustium, Appianum

Besserus pg. 48 Ciceronem, Sallustium, Livium fontes nominant.

2) Grashof: de fontibus et autoritate Dionis Cassii. diss. inaug. Bonn 1867.

3) cui adsentitur. de Stern. Catilina und die Parteikämpfe in Rom 66—63. diss. inaug. Dorpat 1883.

desierunt maligni, cf. Quint. XI. 1, 24. in Pis 72. Philipp. II. 21. Pseudo Sall. in Cicer. 6. Pseudo Cicer. in Sall. 7. —

Ejus modi dicacitates et convicia hoc quoque loco Dioni fructum praebuisse verisimile est, nisi forte credit quispiam [1]) malitiae Dionis quem Ciceroni minime favere apparet calumnias illas tribuendas esse. Causa igitur non est, cur ex hoc loco colligamus Dioni hypomnema notum fuisse. —

Iam vero conferamus Dionis verba cum Ciceronis et Plutarchi.

Ad illustrandam quaestionem nostram nonnulla sumi possunt ex Ciceronis poëmate de consulatu suo, cujus fragmenta Thouretus plane neglexit.

In capite 8 libri 37. Dio prodigia commemorat quibus Romani anno a. n. 691 terrebantur [2]). Thouretus attulit locum ex oratione in Catil II. 19—21, ubi eadem fere Cicero profert. Concedendum est, etiam in hypomnemate haec memoriae tradita esse, cf. quae in secundo poëmatis libro legimus vers. 30—65. Sed Cicero hujus rei mentionem fecit cum narraret, se consule illud Iovis simulacrum in Capitolio statutum esse eodem tempore quo ipse conjuratos et indices eorum in templum Concordiae duceret. Num igitur verisimile est, Dionem qui, antequam omnino alterius conjurationis mentionem facit, in exponendis anni a. n. 691 rebus prodigium illud enarrat, ex eo loco hypomnematis hausisse? Praesertim cum postea discrepans cum Cicerone prodat, Iovis simulacrum „παῤ αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς ἐκκλησίας ..... τοῦ Κικέρωνος δημηγοροῦντος" positum esse. Non recte igitur Thouretus Grashofii sententiam refutavit qui ab Obsequente auxilium petivit. Legimus enim apud illum Livi excerptorem eadem quae apud Dionem inveniuntur cf.

1) cf. Egger: examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste. Paris 1844. pg. 292.

Heimbachius: Quaeritur quid et quantum C. Dio in historia conscribenda inde a libro 40 usque ad librum 47 e Livio desumpserit. diss. inaug. Bonn 1878. pg. 45

Antoni Antiphilippicas fontem nominat. cui adsentitur Hauptius. Philol. 43 pg. 691.

2) cf. Buresch p. 222—223.

Obs. 122.	Dio 37, 9.
„in capitolio lupam Remi et Romuli fulmine ictam".	„εἰκών τέ τις λυκαίνης σύν τε τῷ Ῥώμῳ καὶ σὺν τῷ Ῥωμύλῳ ἱδρυμένη ἔπεσεν".
„signumque Iovis cum columna disjectum".	„καὶ Διὸς ἄγαλμα ἐπὶ κίονος ἱδρυμένον".
„Tabulae legum aeneae litteris liquefactis".	„τά τε γράμματα τῶν στηλῶν ἐς ἃς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο".

Signum Iovis cum columna disjectum esse Cicero non commemorat.

Dio igitur cum Livi excerptore melius quadrat quam cum Cicerone. —

Ea prodigia quae Cicerone Antonio consulibus evenerunt eodem modo apud Ciceronem et Dionem narrantur, apud Plutarchum et Obsequentem paucis attinguntur. Concedendum est, Dionis et Ciceronis verba optime consentire, cf. ex poëmatis libro II. vers. 20—27. Dio. 37, 25, 1—2.

Neque vero eodem rerum contextu res illae apud Dionem ennarrantur, quo in hypomnemate videntur prolatae esse. cf. Plut. vit. Cic. cap. XIV, ubi omina illa commemorantur, postquam Plutarchus narravit iterum Catilinam consulatum petivisse. Praeterea apud Dionem caput 25 cum capite 24 tam arte co haeret, ut divelli vix possint, sed ex eodem fonte hausta esse videantur. De augurio salutis vero in poëmate nil legimus, ubi Cicero ante prodigia quae tractavimus Iovis et feriarum Latinarum mentionem facit, quae „dirum in tempus cecidere".

Itaque ne hoc quidem loco hypomnema excerptum esse probabile est, neve spernamus Obsequentur,

Obs. cap. 122.	Dio 37, 25, 2.
„Fulmine pleraque decussa sereno .... de coelo trabs ardens ab occasu ad coelum extenta	„Κεραυνοί τε γὰρ ἐν αἰθρίᾳ πολλοὶ ἔπεσον καὶ λαμπάδες ἀνεκὰς ἐς τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν δυσμῶν ἀνέδραμον καὶ ἡ γῆ ἰσχυρῶς ἐσείσθη.
terrae motu .... quaedam corruerunt.	

Praeterea Thouretus monet, solum inter rerum scriptores

Dionem, 37, 32, de libera custodia Catilinae certiores nos facere, quam Cicero commemorat, in Catil. I. 49. Sed quomodo hoc loco Thoureti sententia confirmari possit, equidem non intelligo, Dio enim narrat Catilinam a Cicerone non receptum apud Metellum praetorem invidiae vitandae causa in custodiam se dedisse, deinde conjuratos in domum cujusdam socii convocasse et clam Metello in conventum illum venisse. Cicero tradit primum ad M'Lepidum Catilinam se contulisse deinde ad Ciceronem, tertium ad Q. Metellum praetorem, denique cum ab omnibus repudiatus esset ad sodalem suum M. Marcellum [1]) demigrasse, itaque Dio discrepat cum Cicerone. Praeterea justo jure dubitari potest, an omnino in hypomnemate hujus rei Cicero mentionem fecerit cujus intererat, ut omnia silentio praeteriret quae Catilinae invidiam levare poterant, Plutarchus quoque plane tacet. —

Quibus de causis sumo Dionem hoc loco non ex hypomnemate sed ex alio fonte hausisse, qui omiserat Catilinam a Q. Metello repudiatum denique M. Marcello, qui cum conjuratis conspirabat, se tradidisse. —

Adridere primo aspectu videtur Thoureti sententiae, quod apud Dionem 37, 35, 4 invenitur omen illud, quod Plutarchus enarrat in vitae Ciceronis capite XX, Ciceronem vero in poëmate memoriae prodidisse testatur Servius, ad. Verg. Buc. VIII. 106. Sed Dio prodigium prima luce ejus diei

1) Pro M. Marcello scripsit Halmius (Cic. ausgew. Reden 10. Aufl. Berlin 1878 Bd. III. pg. 32 not. 7), M. Metellum, quod nomen exhibent tres codd. et Quintilianus IX. 2, 45. Itaque cum Halmio Thouretus sumit Dionem lapsu calami hoc loco Q. Metellum pro M. Metello vocasse, quibus non adsentior. Neque enim persuadere mihi possum Quintiliano et tribus illis codicibus fidem habendam esse, praesertim cum Bonnellius, novissimus Quintiliani editor Lips. 1883, scribat M. Marcellum. M. Metellum inter socios Catilinae fuisse nusquam traditum est, Marcellos vero cum eo conspirasse legimus apud Orosium VI. 6 cf. pro Sest. 9. Sin autem concederet quispiam »M. Metellum« scribendum esse et Dionem lapsum calami commisisse, num verisimile esset, futurum fuisse ut Dio scriberet »καὶ λαθὼν τὸν Μέτελλον ἦλθε πρὸς αὐτούς« cum Cicero indicaret eum ad sodalem suum se contulisse, ne custodia impediretur incepta patrare. Quam ob rem Catilina amicum et socium sceleris fefellit?

quo de conjuratis supplicium sumptum est, accidisse contendit, Plutarchus vespere ejus diei quo tertiam orationem in Catilinam Cicero habuit. —

Omnino ea quae in capite 35 apud Dionem inveniuntur minime Ciceronem redolent. Dio enim suspicionem de Crasso exortam exponit, quam a Cicerone in hypomnemate praetermissam esse supra demonstravimus. cf. Plut. Crass. XIII.

Neque probabile est verba „καί σφας συνταράξας καὶ ἐκφοβήσας ἔπεισε (ὁ Κικέρων) θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι“ Ciceroni tribuenda esse, cf. Plut. Cic. XXI. „τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών“ κτλ. — Cicero enim omni modo se ab odio illo liberare conatus est. — Sin autem rem omnem spectas, vel per se credi vix potest, Dionem, qui Ciceroni mimine favet et semper obtrectat, in conscribenda conjuratione Catilinaria prae ceteris eo libro usum esse, in quo se ipse Cicero summis laudibus extulit. Haec sufficiant ad refutandam Thoureti sententiam.

Supra diximus Dionis verba nunc Ciceronem et Plutarchum, nunc Sallustium in mentem nobis revocare, quare viri docti existimant, complures relationes eum conjunxisse. Praeterea hoc tenendum est, nonnulla nos apud Dionem invenire, quae neque Ciceroni et Plutarcho neque Sallustio tribui possunt. Etsi igitur concedimus Dionem complures autores inspexisse, facere non possumus quin sumanus, praeter eos scriptores quos adhuc tractavimus alium fontem Dioni fuisse, quem plerique Livium nominant.

Quare videamus, numquid praeter prodigia illa apud Obsequentem enarrata hanc sententiam confirmet.

Atque primum quidem de Dionis genere scribendi pauca dicenda sunt. Dioni continua et perpetua narratione res Romanas tractanti eum autorem optimum fontem fuisse, qui eodem modo scripsit nemo negabit. Itaque in exponendis Catilinae temporibus, quae apud eum ordine rerum diligenter servato legimus, neque Ciceronem neque Sallustium neque Plutarchum primarium ducem sibi elegisse videtur, quorum ratio et consilium scribendi a Dionis valde abhorrebant. Ciceronis intererat ut omnibus modis gloriam suam augeret, a se omnia facta esse demonstraret; ea quae ad ceteros

pertinent brevissime a Cicerone commemorantur, itaque apud Plutarchum quoque Cicero ita primas partes agit, ut reliqua minus accurate nobis narrentur. Sallustium vero in scribendo id spectasse, ut excellenti exemplo demonstraret, quomodo paulatim res publica immutata ex pulcherrima atque optima pessuma ac flagitiosissima facta esset, ipsius verba docent. Quum igitur in describendis rei publicae condicionibus, in pingendis hominum moribus, in componendis orationibus et epistolis summam operam poneret, fieri non potuit, quin Dioni minorem fructum praeberet. —

Quae de priore conjuratione exhibet, Dionem Sallustio debere sumit Grashofius, sed inspiciamus autorem nostrum. Legimus in libri 36 capite 44, Sullam et Autronium ambitus damnatos accusatores Cottam et Torquatum consules interficere conatos esse, adjunxisse sibi Catilinam, Pisonem, alios; neque vero facinus patrasse, nam consiliis illis pervulgatis consulibus a senatu praesidium datum esse. Quin etiam futurum fuisse ut S. C. contra conjuratos fieret, nisi tribunus plebis intercessisset. Unde haec sumpsit Dio? Plutarchus tacet, Cicero Sullam ab odio conjurationis illius liberare conatus est, Sallustius autem qui eam exponit „quam verissume“ neque Sullam inter sceleris socios neque Cottam et Torquatum accusatores nominat, neque senatus consulti cui intercessit tribunus mentionem facit nec de exitu conjurationis cum Dione consentit. Dio non commemorat quod Asconius, pg. 83, et Sallustius, Catil. 19, 5 tradunt, fuisse eo tempore, qui crederent Pisonem a Pompei clientibus Pompeio non invito trucidatum esse. Hoc ad Livium spectat, si licet uti argumento e silentio, quem Pompeio studuisse constat, cujus periochae, 101, bene congruunt cum Dione „conjuratio eorum qui in petitione consulatus ambitus damnati erant facta de interficiendis consulibus oppressa est.“

In capite 10 libri 37 Dio narrat Catilinam Figulo et Caesare consulibus reum inter sicarios factum absolutum esse, Livium quoque servato temporum ordine ea quae ad Catilinam pertinebant memoriae prodidisse docet Orosius VI. 3, 1. „eodem anno (a. u. 681) apud Romam Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia virgine Vestae commisisse argue-

batur, Catuli gratia fultus evasit. In extremo bello Mithradatico exponendo Dionem e Livio hausisse Grashofius pg. 11—12 demonstrat. Itaque usque ad enarrandum Ciceronis consulatum Dio Livium excerpsit, sin autem ea contemplamur, quae post Catilinae mortem legimus, elucet, plane eodem ordine res inter se valde diversas proferri quo apud Livium prolata sunt. cf.

Liv. Perioch. 103.	Dio 37.
Clodius incesti accusatus absolvitur.	cap. 45.
C. Pomptinus praetor Allobrogas ad Solonem domuit.	„ 47.
Clodius ad plebem transiit.	„ 51.
C. Caesar Lusitanos subegit.	„ 52.
conspiratio inter tres civitatis principes.	„ 54.
leges agrariae a Caesare latae.	lib. 38, 1.
C. Antonius in Thracia parum prospere rem gessit.	„ 10.
Ciceronis exilium.	„ 14.

Profecto Dionis periochas legere videmur, num casu hoc evenisse credis? Itaque verisimile non est, in conjuratione ipsa exponenda eum Livi autoritatem aspernatum esse, cujus plenissimum testimonium Seneca laudat, praesertim cum nonnulla apud Dionem inveniantur, quae ad alium fontem referri vix possunt. — Sed de singulis videamus. De prodigiis, 37, 25, supra diximus. Deinde paucis προάγωνες illi enarrantur de quibus uberius agit Plutarchus. vit. Cic. capp. XII, XIII, sed solus Dio tradit tribunis adjuvantibus P. Autronium et P. Sullam senatum et honores recepisse. Ea quoque quae de C. Rabirio legimus a Livio abjudicari vix possunt, Ciceronem enim hoc loco excerptum esse incredibile est. Dio qui accuratissime hanc rem explicat futurum fuisse contendit, ut Rabirius damnaretur, nisi Metellus augur et praetor signum illud dedisset, quo exercitus remittebatur. Ciceronem ita locutum esse quis credat?

De Ciceronis oratione pro Roscio Othone habita apud Dionem nihil invenitur, qui legem Rosciam commemorat, 36, 42, in exponendis temporibus quibus lata est, consentiens cum Livio, perioch. lib. 99, et ejus excerptore Velleio II. 32. —

In capite 29 lex Tullia de ambitu profertur, quam latam esse „Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος" Dio contendit, discrepans cum Cicerone, qui re vera Sulpicium eam flagitasse dicit, pro Murena 46—47, neque in hypomnemate ejus mentionem fecisse videtur, Sallustius et Plutarchus tacent. In capite 30, 3 Dio narrat, comitiis consularibus habitis Catilinam non solum Ciceroni sed omnibus senatoribus insidias parasse, tum demum pessimum quemque sibi conciliasse nobilissimosque nefario jure jurando obstrinxisse, Sallustius et Plutarchus priore anno haec evenisse contendunt. cf. Plut. Cic. X. Sall. Catil. 22. — In capite 35 de patrum concilio Dio certiores nos facit, quo de conjuratis agebatur. Ciceronem tradit metu ac terrore patres commovisse, ut de conjuratis supplicium sumerent; apud Sallustium Cicero non commemoratur, Ciceronem ipsum summopere studuisse, ut ab odio illo se liberaret, Plutarchus docet. — Antonium caput Catilinae Romam misisse apud unum Dionem legimus. 37, 40, idem solus tradit Antonium imperatorem appellatum esse „καίτοι τοῦ ἀριθμοῦ τῶν πεφονευμένων ἐλάττονος παρὰ τὸ νενομισμένον ὄντος." Dilucide vero ad Livium spectant quae in capite 41 de oppressis conjuratorum motibus L. Vettio indice Dio exhibet. cf. Oros VI. 7. „motus etiam in Paelignis ortus a Marcellis patre et filio per L. Vettium proditus patefacta Catilinae conjuratione compressus est et de utroque per Bibulum in Paelignis per Ciceronem in Bruttiis vindicatum est."

Haec sunt unde colligo, Livium Dionis fontem primarium fuisse. Quod si conceditur, quaerendum est, utrum Livium solum Dio excerpserit an praeterea Ciceronem, Sallustium Plutarchum. Sin autem requirimus, quibus fontibus usus sit Livius, imprimis nominandi sunt Cicero et Sallustius, Ciceronis hypomnema Livio fructum praebuisse Plutarchus docet; quare crediderim Dionem neque e Sallustio neque e Cicerone et Plutarcho hausisse, quia Livius ei fontem praebuit ex animi sententia. —

Servavit igitur Dio nobis epitomen Livi, quod si conceditur, apparet, Dionis relationi majorem autoritatem tribuendum esse, quam adhuc tribuerunt viri docti. Veteres histo-

rici enim plerumque tanti aestimandi sunt quanti fontes e quibus hauserunt. Ergo Dione perbene uti possumus in corrigendis et explendis Ciceronis et Sallusti relationibus, praecipue in explorando temporum ordine. Sane apud Dionem errores inveniuntur, sed pauci sunt et levis momenti; si rem omnem spectas, facile concedes, Dionis sobria atque simplice relatione quasi trama, Ciceronis et Sallusti splendidis et expolitis narrationibus quasi subtegmine uti nos posse in contexenda conjurationis Catilinariae descriptione. —

Restat ut quaeramus, numquid de iis autoribus explorari possit, quos praeter Sallustium et Ciceronem Livius adhibuit, nonnulla enim, ut supra diximus Dio solus exhibet. Nomina permulta nobis ante oculos versantur, neque vero dici potest, unde narrationes illae haustae sint; hoc tantum contendo, Livium a fontibus anticaesarianis auxilium non petivisse. Nusquam enim apud Dionem Caesar inter Catilinae socios nominatur. In enarranda priore conjuratione, quam uberius Dio exponit discrepans cum Cicerone et Sallustio, neque Caesaris neque Crassi mentio fit. Crassum nominatum esse, neminem autem indici fidem tribuisse legimus, 37, 35. Neque in lib. 37 capite 41 ubi copiose de L. Vettio indice agit, a quo Caesar summum in periculum vocatus est, quidquam de Caesare invenimus.

Dionem omisisse quae de suspicione illa apud Livium legerat probabile non est, Livio rumores, quos tum pervulgatos esse constat, ignotos fuisse quis credat?

Videtur igitur Livius Sallustio et Ciceroni majorem autoritatem attribuisse quam Caesaris inimicis, neque enim persuadere mihi possum, eum consulto vera obscurasse, ne Augustum offenderet. —

Quaestione nostra ad finem perducta paucis comprehendere liceat, quae commentatione mea demonstrasse mihi videor. Si rem omnem spectamus, scriptores Caesarianos sejungere possumus ab Anticaesarianis. Caesariani praecipue referendi sunt ad Ciceronem excepta expositione consiliorum et Sallustium, qui metu vel amore Caesaris permoti eum a crimine societatis Catilinae liberare studuerunt.

Anticaesarianorum fragmenta tantum nobis servata sunt

per Suetonium et Plutarchum (in Crassi et Caesaris vitis) qui imprimis Tanusium Geminum secuti sunt. — Iam vero recordemur, qua ratione inter se conjuncti sint scriptores, quos Caesarianos appellavi.

Ciceronis hypomnema excerpsit Plutarchus, Sallustium Appianus et Florus secuti sunt. Livius, qui praeter Ciceronem et Sallustium scriptores adhibuit quibus nomen dare non possumus, fructum praebuit Dioni, Velleio, Eutropio, Orosio.

Ad cognoscendam Catilinae conjurationem usui sunt nobis Cicero, Sallustius, Plutarchus, Suetonius, Dio; nonnulla gravioris ponderis affert Asconius quaedam Orosius, omnino praetermittendi sunt Diodorus, Velleius, Florus, Appianus, Eutropius. —



Vita.

Natus sum Hugo Willrich die XX mensis Augusti h. s. anno LXVII in vico Cummerow sito apud Pomeraniae oppidum Regenwalde. Patre Friderico matre Franzisca (e gente Raddatz) superstitibus gaudeo, fidei addictus sum evangelicae. Annum agens duodecimum Gymnasium adii Gryphimontanum. Anno h. s. LXXXV Berolinum me contuli studiis philologicis et historicis me daturus. Ibi me docuerunt viri doctissimi Delbrück, Diels, Hübner, Kirchhoff, Koser, Paulsen, Robert, de Treitschke, Vahlen, Wagner. Duobus post annis Gottingam demigravi ubi scholas audivi apud viros doctissimos de Kluckhohn, Lange, Meyer, Sauppe, Steindorff, Volquardsen, Weiland, Wieseler, de Wilamowitz. Seminarii philologici auditor fui per bis sex menses, seminarii archaeologici sodalis, exercitationibus me admiserunt metricis de Wilamowitz, historicis de Kluckhohn, Volquardsen, Weiland, palaeographicis et diplomaticis Steindorff, quibus omnibus, prae ceteris Christiano Volquardsen et Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff optime de me meritis, summas ago gratias. Kalendis Aug. anni XC examine pro facultate docendi superato Berolinum redii stipendia facturus. Deinde iterum Gottingam me contuli ad summos in philosophia honores impetrandos.


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045898571

